













LIber DIVIno CVLtVI saCratVs, seLeCtIs aLIIs eX LIbrIs, pIetatIs stVDIo eXCerptVs.





VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis Ignatii Dominici Voigt, Universitatis Typographi.


WIEN




PROV. HUNG. S. J.
BIBL.
1935

Dirigatur Domine oratio mea
Sicut incensum in conspectu tuo.

APeri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum, ab omnibus vanis, perversis, & alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflam̃a, ut dignè, attentè, ac devotè has preces recitare valeam, & exaudiri merear, ante conspectum Divinæ Majestatis tuæ. Adeoq; Domine Jesu Christe, in unione Divinæ illius intentionis, quâ ipse in terris, laudes Deo persolvisti, has tibi preces volo persolvere.



PRECES MATUTINÆ.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.

ILlumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum, in manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis, in id ipsum omnes meas faciam actiones. Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio & nunc & semper, & in Sæcula sæculorum, Am.

In Nomine Domini nostri JESU Christi crucifixi surgo, qui me suo pretioso sanguine redemit, ipse etiam hodie me

benedicat, regat custodiat, protegat, ab omni malo defendat, & post hanc miseram vitam, perducat ad vitam æternam, Amen.

Clementissime infinitæ misericordiæ Deus, amo te super omnia propter infinitam bonitatem tuam, & malitiam peccati detestor super omnia, in sanctissima tua gratia cupiens vivere, & mori, ideóque summè doleo, quòd te unquam offenderim summum bonum meum, propono seriam emendationem confessionem & satisfactionem.

Famulorum tuorum quæsumus Domine delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eùndem Christum Dominum nostrum, Amen.

Abrenuncio Sathanæ, omnibus operibus, & instinctui ejus, & adhæreo tibi Domine JESU Christe.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum, titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Sancte Deus, sancte Fortis, sancte Immortalis, miserere nobis.

Pax Domini nostri JESU Christi, & virtus passionis ejus, & signum sanctæ Crucis, integritas Beatæ Mariæ Virginis, benedictio Sanctorum, custodia Angelorum, nec non suffragia omnium Sanctorum, & Electorum DEI, sint inter me, & inimicos meos, visibiles, & invisibiles, nunc, & in perpetuum, Amen.

Benedicat mihi imperialis Majestas, protegat me regalis Divinitas, custodiat me sempiterna Deitas, defendat me immensa Trinitas, foveat me gloriosa unitas, dirigat me inæstimabilis bonitas, regat me potentia Patris, vivificet me sa-

pientia Filii, illuminet me virtus Spiritûs ſancti. Alpha, & Omega, Deus & homo, ſit mihi invocatio iſta ſalus, & ſempiterna protectio.

Jam lucis orto ſydere, Deum precemur ſupplices, ut nos in diurnis actibus, ſervet à nocentibus, linguam refrænans temperet, ne litis horror inſonet, viſum fovendo contegat, ne vanitates hauriat. ſint pura cordis intima, abſit mihi væcordia, carnis terat ſuperbiam, cibi potúſque parcitas, ut cùm dies receſſerit, noctémque ſors reduxerit, mundi per abſtinentiam, ipſi canamus gloriam. Deo Patri ſit gloria, ejúſque ſoli Filio, cum Spiritu paraclyto, in ſempiterna ſæcula.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire, miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te, in te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

Do-

.Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine DEUS omnipotens, qui ad principium hujus diei, nos pervenire fecisti, tuâ nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, verba, & opera. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Dirigere, & sanctificare, regere & gubernare, dignare Domine Deus, Rex cœli, & terræ, hodie corda, & corpora nostra, sensus, sermones, & actus nostros, in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic & in æternum salvi, & liberi esse mereamur, salvator mundi, qui vivis, & regnas, in sæcula sæculorum Am.

Actiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prose-

quere , ut cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum, &c.

Nos cum prole pia,
Benedicat Virgo Maria, Amen.

O Maria Mater lucis, quæ ad lumen nos reducis, esto mihi prævia. Mater vitæ salutaris, cœli sydus Stella maris, cinosura cœlica, me in hujus mundi mari, non permittas naufragari, iter tuum explica.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe; Jesu tibi sit gloria, qui natus est de Virgine, cum Patre, & almo Spiritu, in sempiterna sæcula, Amen.

Sancti nominis tui Domine, timorem pariter, & amorem, fac nos habere perpetuum, quia nunquam tuâ gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Qui vivis, & regnas cum Deo, &c.

Omni-

Omnipotens ſempiterne Deus, fac me proſpera mundi deſpicere, adverſa patienter tollerare, & cœleſti conſolatione, ſemper gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Angele DEI, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum, pietate supernâ, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna, Am.

Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto. Ave Maria, &c.

Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ave Maria, &c.

Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Ave Maria.

Oremus.

GRatiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde, ut qui Angelo nuntiante, Chriſti Filii tui incarnationem cognovimus, per paſſionem ejus & Cru-

& Crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ora pro nobis beatissime Joseph.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Jesus, Maria, Joseph mei dulcissimi amores, vester sim totus.

Cœlesti benedictione me benedicat Deus Pater, qui cuncta creavit ex nihilo, Deus Filius, qui hominem perditum redemit suo sanguine proprio, Deus Spiritus sanctus, cujus me salvet piæ consolationis infusio.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Et Fidelium Animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

Sis gratus, Cor offer, opus dispone futurum.
Vita peccatum, subsidiúmque pete.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, omni die surgere volo, Patris, qui me creavit, Filii, qui me redemit, Spiritûs sancti, qui me sanctificavit.

COnfiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ, semper Virgini, beato

 Micha-

Michaëli Archangelo, beati Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis: quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideò precor beatam Mariam ſemper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos, Petrum, & Paulum, & omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

Miſereatur noſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis noſtris, perducat nos ad vitam æternam, Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum noſtrorum, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus, Amen.

Benedicta ſit ſancta, & individua Trinitas, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Glo-

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. &c.

Sis gratus.

ADoro te ſancta, & individua Trinitas, & gratias tibi ago pro univerſis beneficiis tuis, ſed maximè, quòd tu me hâc nocte ſine omni peccato, & tribulatione diaboli cuſtodiêris, quòd me ad fidem tuam ſanctam Catholicam vocaveris, & innumeris aliis beneficiis ornaveris, & in gratiarum actionem offero tibi Domine Deus meus, hanc diem, totam vitam meam, omnes cogitationes, verba, & opera, omnia mea quæ intrà, & extra me ſunt, corpus & animam meam, ut mei miſerrimi peccatoris miſeriaris, & largiri digneris mihi propter nomen ſanctum tuum, Angelicam puritatem, & caſtitatem mentis, & corporis, & perpetuam in tuo ſancto ſervitio conſtantiam.

O Sacroſancta Trinitas Deus meus! & omnia, te Deum Patrem ingenitum, te Deum Filium unigenitum, te Deum Spiritum ſanctum paraclytum, ſanctam, & individuam Trinitatem, corde, & ore confiteor, laudo, atque benedico, te unum verum, & omnipotentem Deum, rerum authorem, & conſervatorem, â quo, & per quem omnia, ſupplex adoro, tuam immenſam potentiam, tuam æternam ſapientiam, tuam incompræhenſibilem bonitatem agnoſco, & prædico. O! ſumma Trinitas, virtus una, & indiviſa Majeſtas, Deus noſter, Deus omnipotens, tuam mihi gratiam largiri digneris, quâ vires, & operationes meæ omnes, ſincerè ad tuam gloriam, atque cultum tendant. Per Chriſtum &c.

Cor offer.

O Pater æterne, tibi cor meum, & om-

omnes animæ vires, corporísque ſenſus, & quidquid in me eſt, lubens, volens, offero, ſuſcipe me creaturam tuam, omniáque mea, in unione dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti; ô Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Opus diſpone futurum.

O Dulciſſime JESU, qui es via, veritas, & vita: en firmiſſimè ſtatuo, viam mandatorum tuorum currere, univerſa denique, & ſingula in nomine tuo, & facere, & pati. Utinam dirigantur viæ meæ: ad cuſtodiendas juſtificationes tuas; ſuſcipe ô JESU hanc voluntatem meam, tuísque infinitis meritis defectus meos ſupple.

Vita peccatum.

VEni ſancte Spiritus, & ope tuæ gratiæ aſſiſte mihi, ut valeam cunctis ten-

tentationibus resistere, super aspidem, & Basiliscum ambulare, Leonem, & Draconem conculcare.

Subsidiúmque pete.

O Sanctissima DEI Genitrix Virgo MARIA, & tu sancte Angele DEI Custos meus fidelis, vósque Patroni mei singulares. N. N. omnésque sancti DEI, precibus vestris dignemini bonis meis propositis favere, auxiliatricem manum mihi porrigere, ut cuncta, quæ ad majorem DEI gloriam apud me statui, re ipsa ritè exequar. Orate pro me miserrimo peccatore, & cum in extremis ampliùs vestram opem implorare non potero, non me deseratis, sed mihi subveniendo succurrite, ut meritis, & intercessionibus vestris, valeam hujus mundi fluctus superare, & ad fœlicem æternæ salutis portum pervenire. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Tu verò Deus meus, & omnia infirmitatem meam propitius respice, atque ad protegendum, & salvandum me, dexteram tuæ Majestatis clementer extende.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. Ecce Crucem Domini nostri JESU Christi, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David, radix Jesse, miserere nobis. Salvator mundi, salva nos, qui per crucem, & sanguinem tuum redemisti nos, auxiliare nobis te deprecamur Deus noster, Deus sanctus, Deus fortis, Deus immortalis miserere nobis; Crux Christi salva me, Crux Christi protege me, Crux Christi defende me, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

Hodie impono fronti meæ vexillum fidei, signum Victoriæ, titulum triumpha-

phalem; Christi Salvatoris, Regis Gloriæ, Regis Judæorum; Filius beatæ Mariæ Virginis, triumphator mortis, pro nobis peccatoribus sub Pontio Pilato crucifixus, dignetur me peccatorem hodiernâ die tueri, ab omni perturbatione mentis, & corporis, à vexatione dæmonum, & nequam hominum, à potestate inimicorum visibilium, & invisibilium, nec non ab omnibus maleficiis, ab omni pestifero cibo, & potu, dolore & angustia, à confusione, & scandalis, à periculis ignis, & aquæ, à vitiis, & peccatis, ab omni lapsu, & ruina, læsione, & incommodo, à subitanea, & improvisa morte mala, in virtute Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen.

Omnipotentia Patris conservet me, Sapientia Filii erudiat me, Virtus Spiritûs sancti accendat me, ut te Deum meum, unum in substantia, & trinum in personis hic

hic in terris agnoſcam, prædicem, in cælis verò æternùm, intuear, & amplectar, Amen.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu, laudemus, ſuperexaltemus eum in ſæcula, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis, in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in Potentia Majeſtatis, adorare unitatem; quæſumus ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis, per DOMINUM noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum &c.

Da nobis quæſumus omnipotens æterne DEUS, ut qui te Patrem ingenitnm DEUM verum, Creatorem cœli, & terræ,

visibilium omnium, & invisibilium esse credimus, in exequendis quoque mandatis tuis voluntate, & actione, semper tibi placeamus, qui Deus es in sæcula sæculorum, Amen.

Commendo me tibi ô bone Jesu: intrà mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in æternum separari à te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in æternitate prœmium, id rogo te pro me, amicis, & inimicis meis, omnibúsque aliis, per lachrymas, sanguinem, & sudorem tuum.

Sanguine tuo Christe Jesu, à peccatis omnibus, lava me, & concede: ut anima mea, cùm è corpore migraverit, ante tribunal tuum appareat munda, ô bone Jesu, nè deseras me in ultimis angustiis, in suprema mortis lucta, à qua tota pendet æternitas; ô mi Redemptor in manus

tuas

tuas ſpiritum meum jam commendo, tua ô mi Deus ſanctiſſima voluntas in me ſemper fiat, & in æternum.

Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

ADſit nobis quæſumus Domine, virtus Spiritûs ſancti, quæ, & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis, per Dominum in unitate ejusdem Spiritûs ſancti Deus, per &c.

Ego miſer peccator animam meam Creatori ejusdem, & Redemptori, pro nunc etiam, & pro omni tempore in pretioſiſſimo ſanguine Domini noſtri JESU

 Chri-

Chriſti, in æternum oblatam, commendo: ſpémque firmiſſimam in infinita miſericordia Dei reponendo, corde contrito, & humiliato, Divinam Majeſtatem exoro, per merita, paſſionem, & mortem unigeniti Filii ſui, eandem ſuſcipere, cœleſtísque gloriæ participem reddere, dignetur. Amen.

Sanctiſſima Trinitas unus DEUS, miſerere mei, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

SAnctiſſima Deiparens Virgo MARIA, per acerbiſſimæ paſſionis JESU Chriſti Filii tui merita, te ſupplex oro, ut fœliciſſimè de hoc mundo tranſeam, & in gratia Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti moriar, ſi verò hodie me mori contigerit, mei memineris pia mater, tuis Virgineis manibus, animam meam, & corpus meum comendo, obſecro autem, ab omni corporis & animæ infelicitate, me clientem tuum, defendere digneris.

Sub-

Subveni mihi Domina in hora reſolutionis meæ, ne Princeps tenebrarum mihi occurrat, nec poteſtas inferorum, adverſum me prævaleat; nec patiaris ô Virgo Dei Genetrix, animam meam gehennalibus pœnis ſubjacere, ſed eam ab æternæ mortis caligine libera, ipſo miſericorditer concedente, quem tu concipere, parere, & lactare meruiſti. Jesu Chriſto Filio tuo Domino noſtro, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Per Virginem Matrem, concedat nobis Dominus ſalutem, & pacem.

BEatiſſimæ, & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, quæſumus Domine, intercesſio glorioſa nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs

tûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Obsecro te angelice Spiritus, custos, ac tutor meus fidelissime, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, ut in via Pacis, prosperitatis, & salutis, te duce dirigar, atque ab omni Spiritu malo, gravíque tentatione defendas, & me ubicunque fuero, vigilantem dormientem, incessanter protegas, defendas, mundes, & munias. Peto etiam: te favente mihi præsidium dari, ut secundùm Dei voluntatem, vitia fugiam, & virtutes Christianas exerceam. Repelle à me, per virtutem sanctæ Crucis: omnem tentationem Sathanæ, & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altissimum Judicem, ut nihil in me loci, hostis noster habeat, cúmque per abrupta vitiorum, me deviâsse senseris: per semitas justitiæ tuæ, me reducere satagas, ut te

Du-

Duce & comite, lætus, atque alacer, valeam ad æterna gaudia pervenire, ac unâ tecum, in cœlesti Patria, Deo omnipotenti assistere, & inservire in æternum, Am.

Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam. Et fidelium animæ per misericordiam Dei, requiescant in pace, Amen.

Sequitur ter Pater, & Ave, unum Credo, cum Antiphona B. M. V.

Solve Deo grates pete lumen, discute mentem,
Delicti veniam posce, recide malum.



PRE-

PRECES VESPERTINÆ.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.

COnfiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ ſemper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beati Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis: quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideò precor beatam Mariam ſemper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos, Petrum, & Paulum, & omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

Miſereatur noſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis noſtris, perducat nos ad vitam æternam, Amen.

Indul-

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum noſtrorum, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus, Amen.

Te lucis ante terminum, rerum Creator poſcimus, ut pro tua clementia, ſis præſul, & cuſtodia: procul recedant ſomnia, & noctium phantasmata, hoſtémque noſtrum comprime, ne polluantur corpora: præſta Pater piiſſime, Patríque compar unice, cum Spiritu paraclyto, regnans per omne ſæculum, Amen.

Salva nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, ut vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace; Cuſtodi nos Domine, ut pupillam oculi, ſub umbra alarum tuarum protege nos. Dignare Domine nocte iſtâ, ſine peccato nos cuſtodire. Miſerere noſtri Domine miſerere noſtri: Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te, in

te Domine ſperavi, non confundar in æternum, Amen.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici, ab ea longè repelle, Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua, ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Am.

Nos cum prole pia:
Benedicat Virgo Maria, Amen.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum, pietate ſupernâ, hâc nocte illumina, cuſtodi, rege, & guberna Am.

Angelus Dñi. nunciavit Mariæ, &c.

Gratiam tuam &c. Concede nos Famulos tuos &c. Ora pro nobis beatiſſime Jo-

Joſeph &c. Sanctiſſimæ Genetricis tuæ Sponſi &c. Cœleſti benedictione &c. Domine exaudi &c. Et fidelium &c.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit.
Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam, ſuſtinui te Domine.
Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.
A cuſtodia matutina usque ad noctem: ſperet Iſraël in Domino.
Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.
Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus.
Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.

Aporta inferi.
Erue Domine animas eorum.
Requiescant in pace. Amen.

Oremus.

DEUS veniæ largitor, & humanæ salutis amator; quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transiêrunt, Beatâ Mariâ semper Virgine intercedente, cùm omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium DEUS omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularúmque, tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Ora-

Oratio pro Patre, & Matre.

DEUS, qui nos Patrem, & Matrem honorare præcepiſti: miſerere clementer animabus Patris, & Matris meæ, eorúmque peccata dimitte; méque, eos in æternæ claritatis gaudio, fac videre. Per Dominum noſtrum.

Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.
Requieſcant in pace, Amen.

Miſerere mei DEUS: ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi. Aſperges me Domine Hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata. Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me à facie tua; & Spiritum ſanctum tuum, ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & Spiritu

ritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus DEUS; DEUS ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſtitiam tuam. Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium DEO Spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum DEUS non deſpicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur Muri Jeruſalem. Tunc acceptabis Sacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Bene-

Benedicta sit sancta, & individua Trinitas, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

Solve Deo grates.

O Clementissime DEUS, Creator, & Conservator, Redemptor, & Protector, meus, te benedico, laudo, & glorifico, cum omnibus Angelis, & Electis Dei, & ex intimis præcordiis, gratias ago pro omnibus, & singulis animæ, & corporis mihi collatis donis, & beneficiis tuis, signanter autem, quòd me indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed solâ sanctissimâ dignatione misericordiæ tuæ, in hac die custodire dignatus es; quid retribuam tibi Domine: pro omnibus quæ tribuisti mihi? cor meum, me denique totum, & omnia quæ dedisti mihi, insuper, & om-

& omnium ſanctorum, laudis, amoris, & gratitudinis affectus, tibi offero, in unione paſſionis, ac meritorum Domini noſtri Jeſu Chriſti. Suſcipe ô Pater æterne, hanc oblationem meam, per infinitam bonitatem tuam, per vitam, & mortem dilectiſſimi Filii tui te rogo, mihíque concede, ut in tua gratia ſemper vivam, & moriar.

Dulciſſime Jesu, per charitatem æterni Patris tui, & ultima verba, quibus in Cruce, Patri, tuum Spiritum comendâſti, te rogo, ſuſcipe ſpiritum meum in fine vitæ meæ.

O! Sanctiſſime Spiritus miſerere mei, & ſanctâ inſpiratione tuâ, me ſemper, & potiſſimùm in hora mortis meæ corrobora.

Pete lumen.

DIgnare ô Domine Deus illuminare tenebras mentis meæ, gratiámque lar-

largiri, agnoſcendi, deteſtandi, emendandi, & compenſandi omnia peccata, negligentias, & ingratitudines meas, quibus Divinam tuam Majeſtatem offendi.

Veni ô lux vera, veni ſanctè Spiritus, & emitte cœlitùs, lucis tuæ radios, ut videam quantas habeo iniquitates, & peccata; ſcelera mea, & delicta oſtende mihi, ut agnoſcam, quidquid cogitando, loquendo, vel operando peccavi, ídque plenè recogitē, in amaritudine animæ meæ, & peccata commiſſa, negligentiásque meas agnoſcendo, valeam deteſtari.

Diſcute mentem.

O Scrutator cordium Deus, peccavi in cœlum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus, iniquitatem meam ego cognoſco, & quomodo poſſum te celare, qui conſideras ſemitas meas, & om-

& omnes gressus meos dinumeras: imperfectum meum vident oculi tui, & si me ipsum bene inspicio, invenio te Deum meum, me graviter offendisse, quid retribui tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? nisì peccata, negligentias, & ingratitudines.

Confiteor tibi Domine Deus omnipotens, creator cœli, & terræ, omnia peccata mea, quæcunque feci ab infantia mea usque in hanc horam, scienter, vel ignoranter, factis, verbis, cogitationibus, & omissionibus contra tuam Divinam voluntatem, tibi Domine soli confiteor ex corde, quia peccata mea innumerabilia sunt, & humillimè supplico, ut obliviscaris omnia peccata mea, quorumcunque me nôsti reum, in omni vita mea.

Delicti veniam posce.

O Inexhausta misericordia! doleo ex intimo corde, quòd te Deum summum

mum bonum meum peccatis meis unquam offenderim, tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, erravi, ſicut ovis quæ periit, reſpice in me, & miſerere mei. O Pater ignoſce: & me prodigum filium tuum, recipe; ignoſce per paſſionem, & mortem dilectiſſimi Filii tui, Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Clementiſſime infinitæ miſericordiæ Deus, amo te ſuper omnia, &c. Miſerere mei Deus, &c.

Ecce mi JESU, in te poſita eſt omnis ſpes mea, te ſupplex oro, ut omnia ſcelera, & delicta mea ſacratiſſimo ſanguini tuo immergas, tuíſque infinitis meritis compenſes, quidquid meæ ſatisfactioni deeſt, tu enim es propitiatio pro peccatis noſtris. Te itaque deprecor amantiſſime JESU, quidquid cogitando, loquendo, operando, videndo, fallente mundo, carne, diabolo, peccavi; ut illud mihi homini

pec-

peccatori clementer indulgere, & ab omni animæ, & corporis periculo me custodire digneris. Accende etiam in me ignem tuæ charitatis, & timoris, & concede mihi ferventem emendationem totius vitæ meæ, cum vera fide, spe, & charitate; ô Clemens, ô pie, ô dulcis Fili Mariæ Virginis, miserere mei.

Recide malum.

BEnignissime JESU, firmissimè propono, nunquam ampliùs peccare, & omnes peccandi occasiones, quàm diligentissimè vitare, quibus te Deum, & omne bonum meum, maximè offendi, tu verò mihi dexteram quæso præbe, nihil enim possum absque tuo auxilio, à quo manant in nos omnia bona, & arcentur à nobis omnia mala, averte à me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, ava-

ritiæ ardorem, & quidquid demum divinæ Majeſtati tuæ diſplicet, ut tibi Deo meo in veritate ſerviam, & corde perfecto te laudem, benedicam, & glorificem in ſæcula.

Deprecor clementiam tuam miſericordiſſime Deus, concedas mihi noctem venturam, mundo corde, & caſto corpore ſic pertranſire, ut manè ſurgens, ad laudandum nomen tuæ Majeſtatis, valeam incolumis, gratum tibi obſequium ſervitutis meæ, exhibere; veráque cordis lætitiâ, cum bona voluntate, & gratiarum actione ſervire.

Dignare Domine JESU, cum Patre, & ſancto Spiritu, dare mihi tuam benedictionem uberémque gratiam, tibi in ſomno, & vigilia, vita, & morte perfectè placendi, ac ſemper, & in omnibus nunc, & in hora mortis meæ, tuam ſanctiſſimam volun-

voluntatem amplectendi, téque pane Angelorum, in vita dignè, & in cœlis beatè fruendi.

O Jesu mi dulcissime, Rex amantissime, tu mecum quæso maneas, hâc nocte mecum dormias, ut corpus somnum capiat, & nunquam cor obdormiat, præsentem absens videat, & malum omne caveat, me Angelus custodiat, & signo Crucis muniat, hinc Satan procul fugiat, & Jesus solus maneat; quos amo, tecum colligas, in lecto cordis foveas, nec me, nec ipsos deseras, sed benedicens protegas, & in æternum custodias Amen.

Piissime, dulcissime Jesu, fac me requiescere super pectus tuum, da ut singulæ respirationes meæ, hâc nocte tibi laudem, & honorem exhibeant. Jesus in ore sapiat, Jesus in corde dormiat, & Jesus me custodiat, Amen.

Su-

Suſcipe me tuendum Jesu Chriſte, præſidium noſtrum, & fac: ut ſopito corpore, animus meus ſemper in te vigilet, fœlicémque cœleſtem vitam, lætus, atque alacer contempletur, in qua tu Princeps cum Patre, & ſancto ſpiritu vivis, & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

In benedictas manus tuas Domine Deus meus, ego me hodie, & ſemper commendo, quemadmodum tu moriens in cruce, te in manus Patris commendâſti; Dignare me ſub alas paternæ protectionis tuæ ſuſcipere, conſervare, tuæque ſanctiſſimæ voluntati ſemper, & in omnibus conformare, ut in te vivere, in te mori, in te æternùm quieſcere valeam, útque id mihi, amicis, & inimicis meis, omnibúsque aliis concedas oro, per merita paſſionis, & mortis tuæ.

O pientiſſima Mater Virgo Maria, in ſinum miſericordiæ tuæ, cum filiali fidu-

cia.

cia. O Angeli & ſancti Dei, Patroníque; mei ſingulares N. N. in veſtrā quoq; protectionem nunc, & ſemper me commendo, obſecro vos, orate pro me miſerrimo peccatore, & cùm in extremis ampliùs veſtram opem implorare non potero, non me deſeratis, ſed mihi ſubveniendo, ſuccurrite, ut meritis, & interceſſionibus veſtris, valeam hujus mundi fluctus ſuperare, & ad felicem æternæ ſalutis portum pervenire, Amen.

In manus tuas Domine, commendo Spiritum meum; Redemiſti me Domine Deus veritatis, in id ipſum dormiam, & requieſcam.

Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors Dominus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum, Amen.

Exercitium quotidianum Deo debitè serviendi.

APeri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum: munda quóque cor meum, ab omnibus vanis, perversis, & alienis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma, ut dignè, attentè, ac devotè has preces recitare valeam, & exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Domine JEsu Christe, in unione divinæ illius intentionis, quâ ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi preces persolvo.

Meditationes circa Sanctissimum Missæ sacrificium.

DUm Sacerdos ad Altare sacrificaturus egreditur, in eo patientis Chri-

ſti perſona repræſentatur: in Tonſura, ſpinea corona: in amictu, velamen oculis Chriſti, inter ludibria nocturna apud Caipham obvolutum: in linea tunica, veſtis alba ab Herode data: in cingulo, manipulo, & ſtola, varii funes; quibus Chriſtus variè ligatus: in caſula, veſtis purpurea, in cruce caſulæ, crux quam Chriſtus bajulavit: in Calice, calix totius paſſionis: in velo calicis, velum S. Veronicæ: in ſacris linteis, quæ explicantur in Altari, ſindon, & ſacra linteamina, quibus ſacrum Chriſti corpus involutum: in Altari, Ara Crucis, ſepulchrum.

Repræſentatur per Sacerdotem Sacrificio paratum, è Sacrario in Templum prodeuntem, Chriſtus veniens poſt Cœnam ad hortum Gethſemani oraturus, & paſſionem ſuam inchoaturus.

Per Sacerdotem, ad extremum pedem Altaris orantem, & confeſſionem facien-

cientem, Christus in horto, peccatorum nostrorum pondere incurvatus, & prostratus, orans æternum Patrem.

Ad ascensum Altaris, & hujus oculum.

Christus Judæ proditori occurrens, & ejus osculum, excipiens cum salute: Amice ad quid venisti? ubi traditur Judæis, ligatur in Urbem dicitur.

Ad introitum Missæ.

Christus ut nefarius, ad Annam Pontificem ductus.

Ad Kyrie.

Christus ductus ad Caipham, à Petro ter negatus, qui exiens foras, flevit amarè, & peccatum deprecatus est.

Ad Collectam, Epistolam, & Graduale.

Repræsentantur collectæ populi adversùs Christum accusationes in domo Caiphæ, ejúsque injuriæ, alapæ, obvelationes, sputa, irrisiones, blasphemiæ, condemnatio: reus est mortis.

Ad

Ad Evangelium.

Chriſtus à Caipha ad Pilatum ductus: examinatur ab impiis de doctrina, & diſcipulis: accuſatur ob prædicatum Evangelium; injuriis, contumeliis afficitur.

Ad Credo.

Chriſtus profeſſus in judicio ſe Regem eſſe, ſed non creditur, Barrabæ poſtponitur; petitur ad mortem: crucifige.

Ad Offertorium.

Chriſtus miſſus ad Herodem, & cum illuſione in alba veſte remiſſus, rursúmque ad mortem, & crucem conſtanter petitus: ad quæ ille tacitè, æterno Patri, pro ſalute noſtrâ ſe offerebat; mox acerbè flagellatus.

Ad Lotionem manuum.

Pilatus lavans manus judicánsque Chriſtum innocentem tradi.

Ad Præfationem, & Sanctus.

Christus flagellis mirè deformatus, & spinis coronatus, gestans arundinem, purpurâ indutus, & in populi conspectum productus,

Ad Canonem.

Christus bajulans crucem ad montem Calvariæ, eidémque affixus

Ad Elevationem.

Christus Cruci affixus, elevatus, & populo ad ignominiam, veluti latro expositus: variis usque ad horam nonam ludibriis, blasphemiis, tum à Judæis, tum etiam à malo latrone, affectus.

Ad Pater noster.

Septem verba à Christo in Cruce prolata. 1. Pater ignosce illis. 2. Ad pium Latronem: Hodie mecum eris in paradiso. 3. Ad Matrem, & Discipulum: Mulier ecce Filius tuus, ecce Mater

ter tua. 4. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. 5. Sitio. 6. Consummatum est, 7. Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum: & cum clamore valido expiravit.

Ad fractionem Hostiæ.

Christus in Cruce moritur, anima à corpore dividitur, velum Templi scinditur; finduntur petræ; monumenta aperiuntur, lanceâ latus Christi aperitur.

Ad Agnus Dei.

Christo mortuo, qui aderant, percutientes pectora sua revertebantur, & dicebant: verè Filius Dei erat iste.

Hostia patenæ superposita.

Repræsentat Christum, è Cruce in sinu B. Virginis depositum.

Ad Communionem.

Christus in Sepulchrum defertur.

Post

Post Communionem ad Collectas.

Christus resurgens à mortuis, multis apparet, & Pacem dat: Pax vobis.

Ad Benedictionem.

Christus ascendens ad Cœlum, benedicit Discipulis: & sedens ad dexteram Patris, orat pro nobis.

Sub Sacrificio Missæ orando, vel Rosarium B. V. vel alias devotas Preces dic

Oratio ante Missam.

DOmine DEUS ad cujus imaginem creatus sum, da mihi gratiam tuam, ut sacrificio missæ, quâ par est reverentiâ, & devotione intersim, illúdque divinæ Majestati tuæ, gratiosè offeram. 1. Ad majorem nominis tui honorem, & gloriam. 2. In memoriam passionis, & mortis tuæ. 3. In gratiarum actionem pro omnibus mihi collatis beneficiis. 4. In

satis-

ſatisfactionem omniū mearum culparum, & pænarū, quas ſacratiſſimo ſanguini tuo, in ſacratiſſimo ſacrificio Miſſæ, im̄ergo. 5. Ad impetrandam mihi gratiam tuam. 6. Pro parentibus, amicis, & benefactoribus meis, próque fidelibus defunctis. Placeat tibi Domine hæc intentio, & oblatio mea, & exaudi me. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ad Gloria.

GLoria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam, Domine Deus Rex cœleſtis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili unigenite, Jeſu Chriſte, Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecatio-

nem noſtram, qui ſedes ad dexteram Patris: miſerere nobis, quoniam, tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus, Jeſu Chriſte, cum ſancto Spiritu, in gloria Dei Patris, Amen.

Ad Credo.

CRedo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ viſibilium omnium, & inviſibilium, & in unum Dominum, Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex MARIA Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus

eſt,

eſt, & reſurrexit tertiâ die ſecundùm ſcripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria, judicare vivos, & mortuos: cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filióque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas, & unam ſanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & exſpecto reſurectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi, Amen.

Ad Credo.

CRedo Domine ſed credam firmius! Spero Domine; ſed ſperem ſecuriùs! amo Domine; ſed amem ardentiùs! doleo Domine; ſed doleo vehementiùs! Adoro te, ùt primum principium; deſide-

ro te, ut finem ultimum; laudo ut benefactorem perpetuum, invoco, ut defensorem propitium. Tua me sapientiâ dirige, justitiâ contine; clementiâ solare; potentiâ protege. Offero tibi DEUS meus cogitanda, ut sint ad te dicenda, ut sint de te: facienda, ut sint secundùm te; ferenda, ut sint propter te. Volo quidquid vis; volo quia vis; volo quomodo vis; volo quamdiu vis. Oro Domine: intellectum illumines; voluntatem inflammes; corpus emundes; animam sanctifices. Defleam præteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vitiosas propensiones; excolam idoneas virtutes. Tribue mihi bone DEUS amorem tui; odium mei; zelum proximi; contemptum mundi. Studeam superioribus obedire; inferioribus subvenire; amicis consulere; inimicis parcere. Vincam cam voluptatem austeritate; avaritiam

lar-

largitate; iracundiam lenitate; tepiditatem pietate. Redde me prudentem in consiliis; constantem in periculis; patientem in adversis; humilem in prosperis. Fac Domine, sim in oratione attentus; in epulo sobrius; in munere sedulus; in proposito firmus. Curem habere innocentiam interiorem; modestiam exteriorem conversationem exemplarem; vitam regularem, assiduè invigilem naturæ domandæ; gratiæ fovendæ; legi servandæ; saluti promovendæ. Discam ad te, quàm tenue sit, quod terrenũ, quàm grande, quod divinum; quàm breve, quod temporaneum; quam durabile, quod æternum. Da mortem præveniam; judicium pertimeam: infernum effugiam; Paradisum obtineam; per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ad Offertorium.

SUſcipe ſanctе Pater omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hoſtiam, quam tibi offero per manus Sacerdotis tui, pro me peccatore, & pro iñumerabilibus peccatis, quibus contra te peccavi, rogans, ut præterita peccata mea dimittas, & à futuris me cuſtodias, méque totum, omnes preces, & vota, & deſideria mea, in unione unigeniti Filii tui, per hoc ſanctiſſimum ſacrificium offero, reſpice in me, & miſerere mei, Amen.

Ad Elevationem Hoſtiæ.

AVe verũ corpus natũ de Maria Virgine, verè paſſum, immolatum in cruce pro homine, cujus latus perforatum, undâ fluxit, & ſanguine, eſto nobis prægustatum, mortis in examine. O clemens, ô piè, ô dulcis Jesu, Fili Mariæ Virginis miſe-

miſerere mei, & da, ut ſicut te videre meruí in forma panis, ita cum ad judicandum veneris, ſecurus, & gaudens, te videre merear, in gloria tuæ Majeſtatis.

Ad Elevationem Calicis.

SAlve nobiliſſime ſanguis, de latere Domini noſtri Jeſu Chriſti profluens, & totius veteris, & novæ culpæ maculas diluens: ablue, ſanctifica, & cuſtodi animam meam, in vitam æternam. Sit mihi ô Jeſu, ſanguis tuus in remiſſionem omnium peccatorum meorum, in robur, augmentum, & conſervationem fidei, ſpei, & charitatis, gratiarum, & virtutum, in cautelam vitæ, in adeptionem gloriæ æternæ, in profectum animarum omnium, & vel maximè, pro quibus orare teneor.

Amantiſſime Jesu, lava me à maculis omnibus, in tuo pretioſo ſanguine, & fac per ejusdem effuſionem, ut univerſo mundo

do, cum omnibus peccatis, vitiis, & concupiſcentiis moriar, & per incendium amoris tui, à me ipſo deficiam: tibíque ſoli, & in te ſolo vivam, Amen.

Anima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti ſalva me, Sanguis Chriſti inebria me, aqua lateris Chriſti lava me, paſſio Chriſti conforta me, ô bone Jeſu exaudi me, intrà vulnera tua abſconde me, & ne permittas me ſeparari à te, ab hoſte maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum ſanctis, & electis tuis laudem te: in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad communionem Spiritualem.

IEſu mi dulciſſime, licet in medelam animæ, & ad majorem nominis tui gloriam, te ſacramentaliter, nunc re ipsâ ſummere nequeam, vellem tamen tantâ puritate, & charitate, ita ardenti omni amore, fervore,

vore, humilitate, omni denique gratitudine te ſuſcipere, ſicut omnes ſancti in ſacra communione te ſumpſerunt, accipe igitur grato animo meum deſiderium, mihique fœlicem mortem largiri digneris, Amen.

Ante benedictionem.

PLaceat tibi ſanctiſſima Trinitas obſequium ſervitutis noſtræ, & præſta, ut ſacrificium, quod oculis tuæ Majeſtatis oblatum eſt, tibi acceptabile, mihíque, & omnibus, pro quibus oblatum eſt, ſit te miſerante propitiabile, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

O dulciſſime, atque amantiſſime Domine Jeſu, rogo te per hanc pii Sacerdotis benedictionē, noli me in peccata mortalia labi permittere, in peccatis mortalibus eſſe, in peccatis mortalibus mori, ſed dignos priùs facere fructus pœnitentiæ Am.

O Sanctissima Virgo, & Martyr Christi Barbara, impetra mihi Sacrosanctam Eucharistiam, & veram confessionem, semper, & in hora mortis meæ, Amen.

Dignare Domine Jesu, cum Patre, & sancto Spiritu, mihi dare tuam sanctam benedictionem, uberémque gratiam, te semper amandi, tuúmque beneplacitum amplectendi, & exequendi, ut te pane Angelorum dignè fruar in vita, in agone, ínque cœlesti patria, Amen.

Bone Jesu, propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum, distractum, & imperfectum, omnium orationum, & actionum, servitium meum comēndo, mellifluo cordi tuo emendandum, & perficiendum, tibíque ipsum offero ad salutem omnium, in unione illius attentissimæ orationis, quâ tu Patrem orâsti, & laudâsti in terris. Responde quæso, satis fac, & supple pro me plenissimè, Amen.

Susci-

Suſcipe clementiſſime Deus, precibus, & meritis beatæ MARIÆ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, & ſanctarum officium ſervitutis noſtræ, & ſi quid dignum laude egimus, propitius reſpice, quod autem negligenter actum eſt, clementer ignoſce, qui in Trinitate perfecta, vivis & regnas, Deus, in ſæcula ſæculorum Amen.

Orationes ad Beatam Virginem.

MEmorare piiſſima, & glorioſiſſima Virgo MARIA, Mater miſericordiarum, & totius conſolationis, à ſæculo non eſſe auditum, ad tua præſidia currentem, aut tua implorantem auxilia, aut tua petentem ſuffragia, à te Virgo Maria derelictum. Idcirco tali animatus fiduciâ, ad te Virgo Virginum, Regina cœlorum, & Domina Angelorum, ô Maria, Mater Domini noſtri JESU Chriſti, confugio ad

te, ad te Stella maris curro, corã te miſer, gemens, & tremens aſſiſto, noli ô Domina mundi, noli æterni Verbi Mater, verba mea deſpicere, ſed audi propitia, & exaudi me miſerum, ad te in hac lachrymarum valle clamantem, nunc, & ſemper, maximè in hora mortis meæ, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria! Amen.

Quot maris ſunt guttæ, quot ſtellæ cœli, quot beatorum Spirituum agmina, quot arborum folia, quot humi gramina, quot aëris atomi, quot puncta cœlorum, quot ignium flammulæ, quot terræ arenulæ, quot univerſi individua, quot æternitatis inſtantia, quot rerum poſſibilia, toties ex intimo cordis mei, ſaluto te ô dulciſſima Virgo MARIA, ſaluto autem te, in unione amoris dilectiſſimi Filii tui JESU, atque omnium te amantium, méque tibi commendo, ac in proprium filium, mancipiúmque tuum aſſigno. Oro etiam

ut

ut me ſuſcipias, & apud Deum impetres, ut totus poſt Deum ſim tuus, & tu tota mea Domina, refugium meum, adjutrix mea, Mater mea dulciſſima, & fœliciſſima corona mea, Amen.

O! Domina mea ſancta MARIA, me in tuam benedictā fidem, ac in ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitûs mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo; omnem ſpem meam, & conſolationem meā, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & diſponantur opera, ſecundùm tuam, Filiíque tui voluntatem, Amen.

O Maria Dei Genitrix, & Virgo glorioſa, omnium deſolatorum ad te clamantium conſolatrix vera, per illud magnum

gaudium,quo consolata es,quando cognovisti Dominum Jesum, die tertiâ à mortuis impassibilem resurrexisse; sis consolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum, & Dei natum unigenitum, in die novissimo, quando cum anima, & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris juvare, ut perpetuæ damnationis sententiam, per te pia Mater, & Virgo valeam evadere, & cum Electis Dei omnibus, ad æterna gaudia feliciter pervenire, Amen.

O dulcissima Virgo Maria, succurre mihi miserrimo peccatori, antequam mors subitanea, & improvisa superveniat, ne subitò, & imparatus de hoc mundo transeam. Ora pro me Virgo benedicta, ob unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi mortem amarissimam, ut peccatorum detestatione, diaboli, & operum ejus abrenunciatione, verâ contritio-

tione, purâ, & humili confeſſione, dignâ ſacroſanctæ Euchariſtiæ, & extremæ unctionis ſuſceptione, Filio tuo reconciliatus, de hoc mundo tranſeam. Fac mecum miſericordiam tuam, ô! dulciſſima Virgo MARIA, Mater DEI, in illa tremenda hora, quando Spiritus mei vitales deficient, & mortua lingua non poterit moveri ad invocandum te, neque oculi mei lucem capere poterunt, aurésque meæ, nulli voci pateſcent. Memor eſto tuæ pietatis, ô dulciſſima Virgo Maria, & ſubvenias mihi in hora ultimæ neceſſitatis meæ, ut liberer à miniſtris diaboli, & collocer cum Chriſti fidelibus, Filii tui ſervis, & amicis, Amen.

Ave Maria.

O Domina mea ſancta Maria, ſicut Deus Pater, per omnipotentiam ſuam, te potentiſſimam effecit, ita mihi quæ-

quæso adsis in hora mortis, omnémque mihi contrariam potestatem, à me potenter averte.

Ave Maria.

O Domina mea sancta Maria, sicut Filius Dei, divinâ suâ scientiâ, & sapientiâ te replevit: ita quæso animam meam, lumine fidei in hora mortis illustra, & corrobora, ut nullo errore, aut ignorantiâ pervertatur, & in seditionem perducatur.

Ave Maria.

O Domina mea sancta Maria, sicut Spiritus sanctus, suum amorem tibi plenè infudit: ita tu, in morte, divini amoris dulcedinem mihi instilla, per quem omnis angor, & amaritudo tollatur, & cor meũ, cœlesti consolatione recreetur.

O Excellentissima, gloriosissima, atque sanctissima, semper intemerata Virgo Ma-

Maria, noli me deſpicere propter innumerabilia, & graviſſima peccata mea, noli me derelinquere, propter nimias iniquitates meas, nec etiam propter duriciem, & immundiciem cordis mei, ne abjicias me famulum tuum, à gratia, & amore tuo, exaudi me miſerum peccatorem, in tua miſericordia, & pietate confidentem.

Succurre mihi piiſſima Virgo Mater, in omnibus tribulationibus, anguſtiis, neceſſitatibus, & in cunctis operibus meis, & da mihi dulciſſima Virgo Maria, virtutem contra omnes tentationes hujus mundi, carnis, & diaboli, impetra mihi à dilecto Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum meorum, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, augmentum virtutum, & gratiam timoris ſui, ſanitatem quoque, & caſtitatem

 cor-

corporis. In extremis meis, esto mihi pia auxiliatrix, & animam meam, ac animas parentum meorum, fratrum, sororum, consanguineorum, & aliorum amicorum meorum, benefactorum, omniúmque fidelium vivorum, & defunctorum, ab æterna caligine, & ab omni malo libera, illo misericorditer concedente, quem tu in sanctissimo utero tuo novem mensibus portâsti, & in præsepe, tuis sanctissimis virgineis manibus reclinâsti, Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæculorum sæcula, Amen.

Saluto te humillimè laudo, & glorifico, ô sancta Maria, Domina mea clementissima, tu nôsti miserias meas, infirmitatem, & vulnera, paupertatem, & nuditatem. Ecce gemitus meus, & languor desiderii mei corã te est, ecce pedibus tuis advolutus, humillimè rogo, & obtestor maternum pectus tuum, per eum amorem, quo

quo Jeſum Filium tuum diligis, per eam charitatem, quâ nos in ſervos, clientes, & indigniſſimos filios tuos adſciviſti, impetra mihi plenam remiſſionem peccatorum meorum, verriſſimam eorum deteſtationem, & dignos in hac vita pœnitentiæ fructus, generoſam item mortificationem ſenſuum, & paſſionum mearum, & pleniſſimam tentationum victoriam. Exora mihi augmentum fidei, certam ſpem, perfectam charitatem, integram in voluntatem Dei reſignationem, puritatem intentionis, affectum devotionis, erga Jeſum crucifixum, venerabile Sacramentum, & erga te Dominam, ac Matrem meam. Impetra mihi obedientiam erga ſuperiores; affabilitatem, & manſuetudinem erga omnes; profundam humilitatem, magnanimitatem, & in adverſis patientiam, ac denique perſeverantiæ donum, ſanctam, & felicem mortem, Am.

Serenissima Imperatrix cœli, Mater unigeniti; Filia Patris æterni, sacrarium Spiritus sancti, Maria Virgo purissima, plena gratiâ, & benedicta super mulieres; humiliter veneror beatissima tua viscera, quæ portârunt fructum vitæ, per quam venit salus, & benedictio toti mundo, ad te recurrunt peccatores, tanquam ad mediatricem,, te requirunt miseri, tanquam Matrem misericordiæ, ô felicissima Mater, exaltata super omnes sanctos, & super omnes choros Angelorum, quæ post dilectissimum Filium tuum, Dominum nostrum, possides altissimum thronum cœlestis curiæ. O luna fulgentissima, quæ illuminas tenebras obscuræ noctis nostræ, ô pia Mater consolatrix nostra! quis unquam te invocavit, & à te repulsam tulit? quis unquam in te speravit, & confusus est? converte ergo ad nos, illos tuos misericordes oculos, assimilatos piscinis Hesebon;

ſebon; quia ſicut in illis nunquam defuit aqua, ita in piiſſimis oculis tuis, nunquam deeſt miſericordia, & compaſſio miſeriarum noſtrarum. Inclina ô benigniſſima Mater aures tuæ pietatis, ad ferventes preces noſtras: recordare, ô glorioſa Mater Dei, glorioſa quæ dicta ſunt de te, & facta per te, tu es illa ſpecioſa, & pia Virgo, figurata per Rebeccam, quæ dedit aquam, non ſolùm ſervo Abraham, qui eam rogaverat, ſed & camelis ipſius. Tu virgo benedicta, fave non ſolùm juſtis, qui ſunt ii, qui ſecundùm rationem vivunt, ſed & camelis fave (id eſt peccatoribus) qui ad inſtar camelorũ gibboſi, vinci ſe ſinunt à concupiſcentiis ſuis, quibus mediante te communicantur aquæ gratiarum, tu es illa dilecta Regina, figurata per pulcherimam Eſther, per cujus interceſſionem, magnus Rex Aſſuerus vitam conceſſit iis, quos ad mortem condemnaverat,

verat, quia tu ſimiliter pulchra, & chara in oculis altiſſimi Regis Dei, obtines vitam æternam multis, qui meruerunt peccatis ſuis damnationem. Tu es illa prudens Abigail, quæ impedis vindictam, quam David intentabat ingrato ipſius marito Nabal. Tu, ſicut Judith es gloria Jeruſalem, lætitia Iſraël, & honorificentia totius populi Chriſtiani. Tu excellentiſſima Domina, tu ſancta, tu glorioſa, tu lætitia Angelorum, glorioſo tuo vultu conforta, & vivifica mentes noſtras, ut in vita noſtra, contra omnia tela inimici noſtri, ſis robur noſtrum, & in mortis hora lætitia, & vita in ſæcula ſæculorum, Amen.

Obſecro te Domina ſancta Maria, Mater Dei pietate pleniſſima, ſumi Regis Filia, Mater glorioſiſſima, Mater orphanorum, conſolatio deſolatorum, via errantium, ſalus omnium in te ſperantium,

vir-

virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum, fons misericordiæ, fons salutis, & gratiæ, fons pietatis, & lætitiæ, fons vitæ, & veniæ: per illam sanctam, & ineffabilem lætitiam, quâ exultavit Spiritus tuus, in illa hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum annuntiatus, & conceptus Filius Dei fuit: & per illam sanctam, & inæstabilem humilitatem, in qua respondisti Archangelo Gabrieli, ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum: & per illud divinum mysterium, quod tunc operatus est in te Spiritus sanctus, & per ineffabilem gratiam, pietatem, misericordiam, amorem, & humilitatem, per quas Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus, descendit accipere humanam carnem in venerabilissimo utero tuo: & per gloriosissima quindecim gaudia, quæ habuisti de Filio tuo Domino nostro Jesu Christo, & per illam sanctam,

&

& maximam compassionem, & per acerbissimum cordis dolorem, quem habuisti, quando Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum ante crucem nudatum, & in ipsa levatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, sitientem, amarissimum potum, fel, & acetum ori ejus apponi vidisti, Eli clamantem audîsti, & morientem vidisti; & per quinque vulnera ejusdem Filii tui, & per contractionem viscerum tuorum, præ nimio dolore vulnerum suorum; & per dolorem, quem habuisti, quando vidisti eum vulnerari, & per fontem sanguinis sui, & per omnem passionem ejus, & dolorem cordis tui, & per fontem lachrymarum tuarum, ut cum omnibus sanctis, & Electis Dei, venias, & festines in auxilium & consilium, meum, in omnibus orationibus, & petitionibus meis, in omnibus angustiis, & necessitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus

bus ego ſum aliquid facturus, & locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus, ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ. Et mihi famulo tuo N. impetres à dilecto Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, virtutum omnium complementum, cum omni miſericordia, & conſolatione, omni conſilio, & adjutorio, omni benedictione, & Sanctificatione, omni ſalvatione, pace, & proſperitate, omni gaudio, & alacritate: etiam abundantiam omnium bonorum ſpiritualium, & corporalium, & gratiam ſancti Spiritûs, qui me bene per omnia diſponat, animam meam cuſtodiat, corpus meum regat, & protegat, & à peccatis mortalibus me ſemper liberet, & defendat, usque in finem meum, hanc orationem ſuppliciter exaudiat, & ſuſcipiat, & vitam æternam mihi tribuat. Audi, & intercede pro me dulciſſima Virgo Maria Mater Dei, & miſericordiæ, Amen.

O intemerata, & in æternum benedicta, ſingularis, atque incomparabilis Virgo, Dei genitrix Maria, gratiſſimum Dei templum, Spiritûs ſancti ſacrarium, janua Regni cœlorum, per quam poſt Deum totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater miſericordiæ aures tuæ pietatis, indignis ſupplicationibus meis: & eſto mihi maximo peccatori pia, & propitia in omnibus auxiliatrix. O Joannes beatiſſime, Chriſti familiaris, & amice, qui ab eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto virgo es electus, & inter cæteros magìs dilectus, atque in myſteriis cœleſtibus, ultra omnes imbutus: Apoſtolus enim, & Evangeliſta factus es præclariſſimus: Te etiam invoco cum Maria matre ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipſa conferre digneris. O duæ gemmæ cœleſtes, Maria & Joannes, ô duo luminaria divinitùs ante Deum lucen-

centia! veſtris radiis ſcelerum meorum effugate nubila. Vos enim eſtis illi duo, in quibus unigenitus Dei Filius, ob ſinceriſſimum virginitatis meritum, dilectionis ſuæ confirmavit privilegium, in Cruce pendens, uni veſtrûm ita dicens: Mulier ecce Filius tuus; deinde ad alium: Ecce Mater tua. In hujus ergo tam ſacratiſſimi amoris dulcedine, velut Mater, & Filius ad invicem conjuncti eſtis; vobis duobus ego miſerrimus peccator, commendo hodie corpus, & animam meam: ut in omnibus horis atque momentis, interiùs, & exteriùs firmi cuſtodes, & pii apud Deum interceſſores mihi exiſtere dignemini. Poſcite mihi quæſo corporis, & animæ ſalutem. Agite quæſo, agite veſtris glorioſis precibus, ut cor meum inviſere, & inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum largitor optimus; qui meam cunctis vitiorum ſordibus expur-

get, virtutibus ſacris illuſtret, & exornet: in dilectione Dei, & proximi mei perfectè ſtare, & perſeverare me faciat, & poſt hujus vitæ curſum, ad gaudia me ducat electorum ſuorum benigniſſimus Paraclitus. qui cum Patre, & Filio vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Suſcipe in te ô Virgo hoc onus protegendi me, quomodo defigam oculos in eum, quem tantopere offendi, niſi tu priùs Domina placaveris juſtiſſimam ejus indignationem: es potentiſſima, & valdè miſericors, progredere obviam, & brachiis apertis excipe accurrentem ad tuam pietatem, offendi te, & Filium tuum; Scio tamen, quòd multi alii peccatores, confitendo peccata ſua, impetrârunt te mediatrice honorem, & gratiam, quam perdiderant; tu es eadem ſemper, ego ſum quod illi fuerunt. O conſolatrix afflictorum non me deſpice, reſpice, lachry-

chrymas meas, confirma propoſita mea, ô adjutrix mea, & refrigerium meum! tu es mihi porta ad miſericordiam, per te ingrediar, tu es ſpes mea, tecum, & per te ſperabo. Amen.

Per te acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, mater ſalutis, ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas tua Deo tam grata, noſtræ veniam impetret vanitati, ac ſuperbiæ, copioſa charitas tua, noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fæcunditas tua glorioſa, fæcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, mediatrix noſtra, advocata noſtra, tuo Filio nos repræſenta. Fac ô benedicta, per gratiam, quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti, ut qui te mediante, fieri dignatus eſt particeps in-

firmitatis, & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes faciat nos beatitudinis, & gloriæ ſuæ, Jeſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula Am.

O felix MARIA, tu Mater DEI, tu Mater rei, Mater utriusque filii, ne ſinas filium reum damnari, per Filium Deum; ſed maternâ pietate procura, ut filius reus reconcilietur Filio, qui eſt Deus, & per Filium Judicem, filium exulem recipe in patriam, Amen.

MARIA guſtum ſentio, quando tui fit mentio, opinor hoc vocabulum, amoris eſſe pabulum. Lac et mel, eſt hæc vocula, fluunt amoris pocula, Maria quinque litteris, in cor meum dum mitteris. Per labra nectar diditur, cordíque vox allidi-tur, hinc cordis in cavernula, auditur Echo ternula. Meum cor eſt triangu-lum:

lum: Maria quemvis angulum, tangit tui dilectio, ubique sit reflexio. Cordis mei pars extera, sinistra pars, & dextera, & summa pars, & infima, pars ipsa cordis intima. Dum te loquuntur singulæ, & sunt amoris lingvulæ, amando te, se dedicant, dicando se, te prædicant. Maria si te prædico, Maria si me dedico, & si tibi cor præbeo, Maria amare debeo.

Ave mundi spes Maria, ave mitis, ave pia, ave charitate plena, Virgo dulcis, & serena, Sancta Parens JESU Christi, electa sola fuisti, esse Mater sine Viro, & lactare more miro. Angelorum imperatrix, peccatorum consolatrix, consolare me lugentem, in peccatis jam fœtentem. Precor te Regina cœli, corde pio, & fideli, me habeto excusatum, apud Christum, tuum natum. Nam peccavi illi soli, ô Maria Virgo noli, esse mihi aliena, gratiâ cœlesti plena. Esto custos cordis

dis mei, ſigna me timore Dei, da peccata me vitare, & quod juſtum eſt amare. Da ſpem firmam, fidem rectam, charitatémque perfectam, da da Virgo finem bonum, quod eſt ſuper omne donum. Eja roſa ſine ſpina, peccatorum medicina, pro me natum interpella, ut me ſalvet à procella. Hujus mundi tam im̃undi, cujus fluctus furibundi, omni parte me impingunt, & peccati zonâ ſtringunt. miſerere, miſerere, miſeratrix nam es verè, miſerere miſeratrix, orphanorum mediatrix, ut dum inſtat hora mortis, adſis mihi Virgo fortis, adſis mihi Virgo Cuſtos, & me loces inter juſtos.

Stella cœli extirpavit,
 Quæ lactavit Dominum:
Mortis peſtem, quam plantavit,
 Primus Parens hominum.

Ipſa

Ipſa ſtella nunc dignetur,
Sidera compeſcere,
Quorum bella plebem cædunt,
Diræ mortis ulcere.

Glorioſa Stella maris,
Summis digna laudibus,
Nos à peſte tuearis,
Et à mundi fraudibus.

Medicina Chriſtiana,
Sanos ſerva, ægros ſana,
Quod non valet vis humana,
Præſtet tua gratia.

O! piiſſima Stella maris
A peſte ſuccurre nobis
Audi nos Domina
Nam Filius tuus nîl negans, te honorat,
Salva nos Jeſu, pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEUS misericordiæ, DEUS pietatis, DEUS indulgentiæ, qui misertus es, super afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem stellæ illius gloriosæ, cujus ubera pretiosa contra venenum nostrorum delictorum, tam dulciter suxisti, præsta auxilium gratiæ tuæ: ut ab omni peste, & improvisa morte securè liberemur, & à totius perditionis incursu, misericorditer salvemur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Am.

Hymnus de septem gaudiis B. V.

GAude Virgo Mater Christi, quia JESUM concepisti, Gabriele nuncio. Fac ô Mater ut salvemur, nam quòd Matrem te fatemur, recta poscit ratio. Gaude Mater Deo plena, novo gignens sine pœna, fœtum puerperio. Eja Virgo peramœna, casto

casto natum mens serena, stringat deside-rio. Gaude quòd ab oriente, Magi stellâ prælucente, dona ferunt Filio. Fac donemur pietate, fide, spe, & charitate, pudorísque lilio. Gaude quia dulcis nati, quem vidisti mortem pati, fulget resurrectio. Fac ab imo vitiorum, surgat mens, & supernorum, gustum spiret actio. Gaude cœlos ascendente, nato vides quem repente, ferri motu proprio. Viam vitæ restitutam, quàm credimus te secutam, fac sequamur seriò. Gaude quia paracletus, missus cœlo novos fœtus, igne format Entheo, Igne sacri nos amoris, fac accendi, ne laboris capiamur tædio. Gaude quæ post Christum scandis, astra cœli, núncque pandis, aditum ad æthera. O fac fructu ventris tui, per te nobis detur frui, in cœlesti patria. O Maria Virgo pia, Mater admirabilis, per te Deus Judex meus, mihi sit placabilis. Virgo Ma-

ter ſis benigna, nobis peccatoribus: in agone, fer coronæ præmium victoribus.

Hymnus de ſeptem doloribus B. V.

SEptem tuos dolores, Maria dum conſidero, tecum pati labores, tecum mori deſidero. Annæ gemit ſenectus, & Simeon affligitur, doloris enſe pectus, quando tibi transfigitur. Fugis Maria, prolis onuſta charo pondere, & luminare ſolis, de nocte vis abſcondere. Ægyptus eſt aſyli locus tuis amoribus, juxta fluenta nili, liqueſcis in doloribus. In Patris eſſe rebus, cùm neſciebas Filium, viſa es tribus diebus, pallere ſicut lilium. Clamas per angiportus, Fili! replebas æthera, dictura plus, obortus dolor premebat cætera. En fert trabale lignum, flagríſque Jeſus icitur, ô Mater ecce ſignum, cui porrò contradicitur, eheu crucem ferenti! corpus pluit cruoribus, & cor tibi Parenti,

ſub-

ſubmergitur doloribus. Calvaria, eſt amoris, & eſt doloris vinea, ſunt præla vinitoris, clavi, & corona ſpinea. Dum fixus eſt jeſus, crucíſque calcat torculum, amor dolore læſus, premit Mariæ corculum. Maria quando petra, ſenſu doloris finditur, diéſque nocte tetrâ luget, tibi cor ſcinditur. Divulſa membra ligno, ſed membra caſſa lumine, foves ſinu benigno, lavas doloris flumine. Cum Filio ſepulto, lapis ſepulchro advolvitur, tibi Maria, multo dolore, vita ſolvitur. Sedens ad antra tumbæ, mœſto ſuſurro murmuris, inſtar gemis columbæ, & plangis inſtar turturis. O Mater! ut dolorum per hanc amaritudinem, cœleſtium bonorum, guſtem ſuavitudinem. Tecum pati labores, tecum mori deſidero, ſeptem tuos dolores, dum plango, dum conſidero.

Stabat mater doloroſa, juxtà Crucem lachrymoſa, dum pendebat Filius. Cujus

jus animam gementem, contriſtatam, & dolentem, pertranſivit gladius. O quam triſtis, & afflicta, fuit illa benedicta, Mater unigeniti. Quæ mœrebat, & dolebat, & tremebat, cùm videbat, nati pœnas inclyti. Quis eſt homo qui non fleret, Chriſti Matrem ſi videret, tanto ſupplicio? Quis non poſſet contriſtari, piam matrem contemplari, dolentem cum Filio? Pro peccatis ſuæ gentis, vidit Jeſum in tormentis, & flagellis ſubditum. Vidit ſuum dulcem natum, morientem, deſolatum, dum emiſit Spiritum. Eja mater fons amoris, me ſentire vim doloris fac, ut tecum lugeam. Fac, ut ardeat cor meum, in amando Chriſtum Deum, ut ſibi complaceam. Sancta mater iſtud agas, crucifixi fige plagas, cordi meo validè. Tui nati vulnerati, tam dignati, pro me pati, pœnas mecum divide. Fac me verè, tecum flere, Crucifixo condolere, donec

ego

ego vixero, Juxtà crucem tecum ſtare, te libenter ſociare, in planctu deſidero. Virgo virginum præclara, mihi jam non ſis amara, fac me tecum plangere. Fac, ut portem, Chriſti mortem, paſſionis fac conſortem, & plagas recolere. Fac me plagis vulnerari, cruce hâc inebriari, ob amorem Filii. Inflam̃atus,& accenſus,per te Virgo, ſim defenſus, in die judicii. Fac me cruce cuſtodiri, morte Chriſti præmuniri, confoveri gratiâ. Quando corpus morietur, fac ut animæ donetur, paradiſi gloria, Amen.

Omni die, dic Mariæ, mea laudes anima, ejus feſta, ejus geſta, cole devotiſſima. Contemplare, & mirare, ejus celſitudinem, dic fœlicem, genitricem, dic beatam Virginem. Ipſam cole, ut de mole, criminum te liberet. Hanc apella, ne procella, vitiorum ſuperet. Hæc perſona, nobis dona, contulit cœleſtia. Hæc

Re-

Regina, nos divinâ, illuſtravit gratiâ. Lingua mea, dic trophœa, virginis puerræ. Quæ inflictum, maledictum, miro transfert germine. Sinè fine, dic Reginæ, mundi laudum cantica. Ejus bona, ſemper ſona, ſemper illa prædica. Omnes mei ſenſus, ei perſonate gloriam, frequentate, tam beatæ Virginis memoriam. Nullus certè, tam diſertæ, extat eloquentiæ, qui condignos, promat hymnos, ejus excellentiæ. Omnes laudent, unde gaudent, Matrem Dei Virginem, nullus fingat, quod attingat, ejus celſitudinem. Sed neceſſe, quod prodeſſe, piis conſtat mentibus, ut intendã, quòd impendã, me ipſius laudibus. Quamvis ſciam, quòd Mariam, nemo dignè prædicet, tamen vanus, & inſanus eſt, qui illam reticet. Cujus vita erudita, diſciplinâ cœlicâ, argumenta, & figmenta, deſtruxit hæretica. Hujus mores, tanquam flores, exornant Eccleſiam:

ſiam: Actiones, & ſermones, mirám præſtant gratiam, Evæ crimen, nobis limen, paradiſi clauſerat, hæc dum credit, & obedit, cœli clauſtra reſerat. Propter Evam, homo ſævam, accepit ſententiam: per Mariam, habet viam, quæ ducit ad patriam. Hæc amanda, & laudanda, cunctis ſpecialiter: venerari, prædicari, illam decet jugiter. Ipſa donet, ut quod monet, natus ejus faciam, ut finitâ, carnis vitâ, lætus hunc aſpiciam. O cunctarum fæminarum, decus, atque gloria; quam electam, & evectam, ſcimus ſuper omnia. Clemens audi, tuæ laudi, quos inſtantes conſpicis: munda reos, & fac eos, donis dignos cœlicis. Virga Jeſſe, ſpes oppreſſæ mentis, & refugium; decus mundi, lux profundi, Domini ſacrarium. Vitæ forma, morum norma, plenitudo gratiæ: Dei templum, & exemplũ, totius juſtitiæ. Virgo ſalve, per quam valvæ, cœli patent miſeris: quam non flexit, nec allexit, fraus ſer-

ſerpentis veteris. Generoſa, & formoſa, David Regis Filia: quam elegit Rex, qui regit, & creavit omnia. Gemma decens, roſa recens, caſtitatis lilium: caſtum chorum, ad polorum, quæ perducis gaudium. Actionis, & ſermonis, facultatem tribue: ut tuorum, meritorum, laudes promam ſtrenuè. Opto nimìs, ut imprimìs, des mihi memoriam: ut decenter, & frequenter, tuam cantē gloriam. Quamvis muta, & polluta, mea ſciam labia: Præſumendū, nec ſilendum eſt, de tua gloria. Virgo gaude, omni laude digna, & præconio: quæ damnatis, libertatis, facta es occaſio. Semper munda, & fœcunda, Virgo tu puerpera, Mater alma, velut palma, florens & fructifera. Ejus flore, & decore, recreria cupimus, cujus fructu, nos à luctu, liberari credimus. Pulchra tota, ſine nota, cujuſcunque maculæ, fac nos mundos, & jucundos, te laudare ſedulè. O beata, per quam data, nova mundo gaudia: Et aperta,

ta, fide certâ, regna ſunt cœleſtia. Per te mundus lætabundus, novo fulget lumine; antiquarum tenebrarum, exutus caligine. Nunc potentes, ſunt egentes, ſicut olim dixeras: & egeni, fiunt pleni, ut tu prophetaveras; per te morum, nunc pravorum, relinquuntur devia: doctrinarum perverſarum, pulſa ſunt præſtigia. Mundi luxus, atque fluxus, docuiſti ſpernere: Deum quæri, carnem teri, vitiis reſiſtere. Mentis curſum, tendi ſurſum, pietatis ſtudio: corpus angi, motus frangi, pro cœleſti prœmio. Tu portâſti, integer caſti, ventris clauſtra Dominum: Redemptorem, ad honorem, nos reformans priſtinum. Mater facta, ſed intacta, genuiſti Filium; Regem regum, atque rerum Creatorem omnium. Benedicta, per quam victa, hoſtis eſt verſutia; deſtitutis ſpe ſalutis, datur indulgentia. Benedictus, Rex invictus, cujus Ma-

 ter

ter crederis: increatus, ex te natus, noſtri ſalus generis. Reparatrix, conſolatrix, deſperantis animæ: à preſſura, quæ ventura malis eſt, nos redime. Pro me pete, ut quiete, ſempiternâ perfruar; ne tormentis, comburentis, ſtagni miſer obruar. Quod requiro, quod ſuſpiro, mea ſana vulnera; & da menti, te poſcenti, gratiarum munera. Ut ſim caſtus, & modeſtus, dulcis, blandus, ſobrius: pius, rectus, circumſpectus, ſimultatis neſcius. Eruditus, & munitus, divinis eloquiis: timoratus, & ornatus, ſacris exercitiis. Conſtans, gravis, & ſuavis, benignus, amabilis: Simplex, purus, & maturus, patiens, & humilis. Corde prudens, ore ſtudens veritatem dicere; malum nolens, Deum colens, pio ſemper opere. Eſto tutrix, & adjutrix, Chriſtiani populi: pacem præſta, ne moleſta, nos perturbent ſæculi. Salutaris, ſtella maris, ſummis di-

gna

gna laudibus; quæ præcellis, cunctis stellis, atque luminaribus. Tuâ dulci, prece fulci, supplices, & refove: quidquid gravat, vel depravat mentes nostras, remove. Virgo gaude, quòd de fraude, dæmonum nos liberas: dum in vera, & sincera carne, Deum generas. Illibata, & dotata, cœlesti progenie: gravidata, nec privata, flore pudicitiæ. Nam quod eras, perseveras, dum intacta generas, illum tractans, atque lactans, per quam facta fueras. Commendare, me dignare, Christo tuo Filio; ut non cadam, sed evadam, de mundi naufragio. Fac me mitem, pelle litem, compesce lasciviam, contra crimen, da munimen, & mentis constantiam. Non me liget, nec fatiget, sæculi cupiditas, quæ indurat, & obscurat, mentes sibi subditas. Nunquam ira, nunquam dira, me vincat elatio; quæ multorum, fit malorum, frequenter occasio. Ora Deum,
 ut

ut cor meum, ſuâ ſervet gratiâ: ne antiquus inimicus, ſeminet zizania. Da levamen, & juvamen, tuum illis jugiter: tua feſta, ſive geſta, qui colunt alacriter.

O! Beata MARIA, quamvis tibi nullus valeat jura gratiarum, ac laudum, præconia rependere, ſuſcipe nihilominùs quascunque exiles, tuíſque meritis impares gratiarum actiones, & cum ſuſceperis vota, culpas noſtras orando, excuſa, admitte noſtras preces intrà ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis, fiat impetrabile, quod fidâ mente poſcimus, accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus, quia tu es ſpes unica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & per te noſtrorum eſt expectatio prœmiorum. Sancta MARIA ſuccurre miſeris, juva puſillamines, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede

pro

pro devoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam commemorationem, aſſiſte votis poſcentium, & repende omnibus optatum effectum, quæ meruiſti Redemptorem ferre mundi, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Concede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium: ut qui ſanctæ DEI genitricis memoriam agimus, interceſſionis ejus auxilio, à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nobis de caſtiſſima Virgine naſci dignatus es, fac nos quæſumus tibi caſto corpore ſervire, & humili mente placere, Amen.

O Virgo Virginum! ſummum Trinitatis ſacrarium, Angelorum ſpeculum, ſcala Sanctorum omnium, tutum peccatorum refu-

refugium, in morte placatum nobis ostende Filium, tuum vultum gloriosum. Am.

Exercitium singularis devotionis erga Beatam Virginem.

Consistens in 7. Orationibus, quæ, vel simul recitari, vel in singulos septimanæ dies, dividi possunt.

AVe Maria, cœli terræque Regina, quæ à Deo in matrem es electa, ante omnia sæcula. Tu es illa beata mulier, de qua Dominus noster Jesus Christus, ut genus humanum redimeret, carnem voluit assumere; per te cœlum terræ jungitur, & summa imis copulantur, tu es Dux vitæ nostræ, tu porta divinæ gratiæ, tu es securus hujus procellosi mundi portus, tu lætitia cæli, tu exultatio terræ, tu peccatorum tutissimum asylum, tu certissimum præsidium omnium te invocantium; Ego tali animatus fiduciâ ad te venio, ne aver-

ſeris miſerum, ô miſericordiæ mater, qui miſericordia tuâ fretus, de miſerorum numero, in filiorum tuorum ſortem tranſire cupio; fateor quidem me ſæpè, ac graviter, dilectiſſimum Filium tuum, peccatis meis offendiſſe, atque idcircò, & ipſius, & tuâ gratiâ indignum eſſe, ſed ex intimo corde nunc doleo, quòd ſummum illud bonum, Dominum, ac Redemptorem meum Jeſum Chriſtum, quem ſuper omnia amo, unquam offenderim, & coram te ejusdem dilectiſſima matre, emendationem, & ſatisfactionem polliceor. Obſecro itaque te Domina, ut mihi veniam peccatorum meorum, gratiámque impetres, tuæ enim eſt pietatis Virgo benedicta, ipſam, quam apud Deum inveniſti gratiam, notam facere mundo, Amen.

AVe Maria, Domina poſt Deum potentiſſima, Redemptoris noſtri genitrix admiranda, quem virginitate ma-

ternâ, & maternitate virginali, mirabiliter peperisti, totâ obstupescente naturâ. Ave sacrarium Spiritûs sancti, ave Virgo gloriosa, quæ tanquam aurora corruscans es, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis dæmonibus, & tanquam acies castrorum bene ordinata, Angelorum, hominúmque laudibus dignissima, sanctos omnes supergrediens. Ave post Deum unigenitum Filium tuum, & justitiæ solem, potens auxiliatrix mortalium, certa spes, & firmum solatium miserorum, humani generis gloria, ornamentum totius universitatis, omnia sæcula, omnes generationes tibi benedicant, omnes ô Domina ad te confugimus, tuam imploramus opem ô benignissima mater, oculos misericordiæ tuæ, ad nos miseros, in hâc lachrymarum valle, converte; monstra ô mater, dilectissimo Filio tuo ubera, quibus eum nutrivisti; ostende brachia, quibus eum amplexata es,

enu-

enumera omnes labores, & dolores, quos pro eo ſuſtinuiſti, tuum illi cor totum amoris igne flagrans exhibe; ut his commotus, noſtri miſereatur, omnibúsque malis, quibus undíque circumdamur, incolumes eripiat, Amen.

AVe Maria, lætitia cœli, & exultatio terræ, tu es illa ſereniſſima luminis mater, quæ animas, omnium te amantium illuminas, tu es illa dulciſſima pietatis mater, quæ fideles tuos famulos, ad glorioſa feliciter perducis habitacula, tu es illa columba formoſa, quæ juxta aquarum fluenta ſedes, cujus veſtimenta incredibilem ſpirant odoris ſuavitatem, ad te faciem meam levo, cœli Regina, ad te oculi cordis mei ſuſpiciunt, in te confidit anima mea, tu es arx fortiſſima, in qua ſecuri ſunt omnes ad te confugientes, tu es fideliſſima propugnatrix omnium te laudantium, tu es illa clavis, quæ portas pa-

 radiſi

radisi reserat, laudo, & glorifico te Virgo gloriosa, colo, & veneror humillimè intemerata illa, & intacta tua viscera, concede mihi obsecro, ut tribulationibus, & miseriis hujus vitæ oppressus, in maternæ pietatis tuæ sinu, locum inveniam, fac ut sim in numero eorum, quos tu amas, inque tuo castissimo pectore adscriptos habes, quos tu doces, dirigis, & defendis in omni necessitate, Amen.

AVe Maria, æterni Regis mater, millies felix, & beata, tu post unigenitum Filium tuum, omnibus rebus dominaris, tibi omnes ætates, & generationes caput inclinant, tuis pedibus se terrarum substernit ambitus, post ineffabilem enim, & summam Trinitatem, nihil dignius te, nihil pulchrius habet cœleste palatium, tu mater, tu Filia, tu sponsa Dei altissimi, tota pulchra, tota formosa es, ad tuum nomen dæmones contremiscunt, cùm splen-

ſplendor tuus ſe prodit, tenebræ diffugiunt, portæque cœli, ad nutum tuum aperiuntur, tu es vera ſpes Chriſtianorum poſt Jeſum Chriſtum Filium tuum. Tu es Regina miſericordiæ, tu vitæ noſtræ dulcedo, omnes ad te clamant, & tu reſpondes omnibus! intercedis pro omnibus, auxilium tuum ne auferas à me, pietas tua non deſit mihi, nec memoria tui, in me unquam intermoriatur; ſi tu me Domina derelinquas, quis me ſuſcipiet, ſi tu ô Stella maris, peccatorum dux, me non illumines, quo tandem vadam? quid de me fiet, ſi à te excludar? audi ergo ô mater! audi miſerũ ad te clamantem, recordare obſecro, quod propter nos peccatores Dei Filius te in matrem elegit. Idcircò ad te confugio, ut per te ô mater mea, miſericordiam inveniam apud Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, Filium tuum Dominum, ac Re-

demptorem noſtrum, & Spiritum ſanctum, Amen.

AVe Maria, ave inter ſanctos poſt Deum ſanctiſſima, & potentiſſima Domina ô Mater! ô Virgo! quibus te laudibus efferam neſcio, omnia glorioſa ſunt in te, beatam meritò te dicunt omnes generationes, Dei genitrix, Domina mundi, Regina cœli, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuiſti, in te Angeli lætitiam, juſti gloriam, peccatores veniam inveniunt, meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia per te, & in te, & de te, benigna manus omnipotentis, quidquid creavit, recreavit; tu verè urbs refugii, portus naufragantium, & ſolatium omnium in te ſperantium, tu ornamentum es totius univerſitatis, tu Domina es, nos ſervi tui, tu Regina, nos clientes tui, tu ſpes univerſæ terræ es, ad tui memoriam recreantur, & hilareſcunt fideles

ani-

animæ, tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri, multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas, tu mater es pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, tu (velut Eſther Aſſuerum) Deum Patrem placâſti, & inveniſti gratiam in oculis ejus. Tu (velut Judith Holofernem) diabolum ſuperâſti, ô Maria! deeſt mihi vox, & ſpiritus, quô te condignè laudem. Vos ergo ô ſancti Angeli, & Electi Dei, Mariæ laudes pro me, in æternum decantate. O quando illud tempus veniet? quo & mihi vobiſcum liceat Dei, & Mariæ laudes, ſinè fine in cœleſti gloria prædicare, hos tuis imprimìs, ô potentiſſima Domina! veſtrisque ô SS. Angeli, & Electi Dei precibus, mihi apud Deum impetrate, Amen.

AVe Maria, ſole clarior, lunâ pulchrior, ave ſplendidiſſima Stella, de qua na-

natus eſt ſol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. Tu es Virgo ſuper omnē pulchritudinem formoſa, tu mater, ſuper omnem honeſtatem gratioſa, quæ benigniſſimis oculis, ſanctiſſimam Filii tui Eccleſiam, quacúnque in mundi parte illa ſit, intueris, dulce tuum nomen reficit laborantes, ſerena lux tua illuminat cæcos, ſuavis odor virtutum tuarum, exhilarat juſtos, & benedictus fructus ventris tui Jeſus, beatos exatiat, tu poſt Deum prima, laudem omnium hominum, & Angelorum mereris, Dominus te creavit virginem ſinè macula, Dominus te amavit ſuper omnes creaturas, tu generis humani gloria, tu ſuper omnes choros Angelorum es exaltata, tu pulchritudo, & ornamentum es totius univerſi, ne avertas faciem tuam à me peccatore, quis enim unquam te invocavit, & exautus non eſt? quis à te quicquam petivit: & non impetravit? quis unquam ſervivit tibi:

tibi: quem non liberaliter & magnificè remunerâsti? sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis meminerit defuisse. Obsecro itaque ô potentissima Domina, impetra mihi à dilecto Filio tuo, veram cordis contritionem, & fac ut spretis omnibus blanditiis, & cupiditatibus, in Christo Jesu, téque benedicta ejus matre, omnis mea sit voluptas, Amen.

AVe Maria, Mater misericordiæ, ave reparatrix gratiæ, & veniæ, quis te non amet? quis te non honoret? quis te tibi non commendet? tu es lux nostra in rebus dubiis, in mœstis consolatio, in angustiis recreatio, in periculis, & tentationibus fidele auxilium, tu es post unigenitum Filium tuum, certa salus, & spes nostra, beati qui te amant, & per sanctitatem vitæ familiares tibi fiunt, & devoti famuli, beati quos tu singulariter tibi

commendatos habes. O pientiſſima mater! ſuſcipe me in clientem tuum, in benedictas manus tuas, & in ſinum miſericordiæ tuæ, animam, & corpus meum cum filiali fiducia nunc, & in hora mortis meæ commendo, rege, doce, dirige, & defende me in omnibus, ſecundùm tuam voluntatem. Reſpice, ô Domina ad ſervi tui, licèt indigniſſimi preces, reſpice ad omnes neceſſitates meas, ad te ego velut unicum aſylum meum, confugio: ſub pallio maternæ protectionis tuæ abſconde me, noli me à te mater miſericordiæ repellere, nam ſinè te vivere non poteſt anima mea. Amen.

℣. Copioſa charitas tua.
℟. Noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum.

Oremus.

PRæſta quæſumus omnipotens, & miſericors Deus, beatâ Mariâ ſemper

Vir-

Virgine intercedente, quam non tantùm in conceptione unigeniti Filii tui, Spiritus sanctus obumbravit, sed post ascensionem ejusdem etiam sacro septenario replevit, ut nos quoque cœlestibus repleti desideriis ? felicem vitæ finem habeamus. Per eundem Christum Dominum.

Ave dulcis mater Christi, quæ cor tuum gladio, transfigendum audis tristi, senis vaticinio: tanti memor fac doloris, mihi sis præsidio: ut post vallem hanc mœroris, cœli reddar gaudio. Ave dulcis mater Christi, quæ præ Regis furia sævientes, corde tristi fugis exul patria: O Regina Beatorum, nostri spes exilii, fac infractus vi malorum, fiam consors Filii. Ave dulcis Mater Christi, natum lugens inclytum, ô quam tristis quæsivisti, triduô jam perditum: hujus memor ô doloris, Christum fac inveniam, & inventum per amoris nexum, semper teneam. Ave

dulcis Mater Christi, quæ dilectum Filium, capi, cædi, flens vidisti, manibus crudelium: ô per pœnas patientis, nobis sit impunitas, per amorem condolentis matris, crescat charitas. Ave dulcis Mater Christi, quæ sub crucis arbore, gemens natum, morte tristi vides heu! succumbere: ô per ensem hunc doloris, qui tunc scidit animam, fac me firmet vis amoris, mortis ad victoriam. Ave dulcis Mater Christi, quæ de cruce mortuum, ulnis natum suscepisti, madens undâ fletuum: eja præstet vis doloris, mater plena gratiæ, ut supremis servet horis gremio clementiæ. Ave dulcis Mater Christi, quæ sepulchro conditum, plangis natum heu! quam tristi mente volvens obitum: in virtute tot dolorum, quos tulisti fortiter, omnem contra vim malorum, stare nos viriliter, demum sorte beatorum fac gaudere jugiter,

℣. Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſivit.

℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

INterveniat pro nobis quæſumus Domine JESU Chriſte, nunc & in hora mortis noſtræ apud tuam clementiam, beata Virgo MARIA Mater tua, cujus ſacratiſſimam animam, in hora tuæ paſſionis, doloris gladius pertranſivit, per te JESU Chriſte Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Concede nos famulos tuos quæſumus Domine Deus, perpetuâ mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſâ beatæ Mariæ ſemper Viginis interceſſione, â præſenti liberari triſtitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Famu-

Famulorum tuorum quæſumus Domine delictis ignoſce, ut qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, genitricis Filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

O Maria, mater lucis, quæ ad lumen nos reducis, eſto mihi prævia, mater vitæ ſalutaris, cœli ſidus, ſtella maris, cinoſura cœlica, me in hujus vitæ mari, non permittas naufragari, iter tuum explica.

℣. Illabatur cordi meo, odor tuus ſuaviſſimus.

℟. Et indeſinenter curram in odorem unguentorum tuorum.

O puriſſima Dei mater MARIA! obſecro te per profundiſſimam humilitatem tuam: per ſanctiſſimam caſtiſſimámque puritatem, & per ferventiſſimam charitatem tuam, pérque omnia dona, quibus ornata es à Deo, recipe me in cuſtodiam, & amo-

& amorem piissimi materni cordis tui, tanquam filium licet indignissimum, & impetra mihi, tui amorem sanctissimum, atque castissimum: impetra mihi humilitatem, castitatem, charitatem, omnésque cæteras virtutes, quibus Deo omnipotenti valeam placere: impetra mihi, ut per singularem misericordiam Filii tui, per merita passionis ejus, & per contritionem perfectissimam peccatorum meorum, in hac vita totus purificari merear ab omnibus vitiis, & peccatis meis, ut post hanc vitam, sinè dilatione ad vitam recipiar sempiternam, & propterea ô Mater misericordiæ, impetra mihi, ut semper, quæcunque tristitiæ super me venerint, patientissimè, & cum gratiarum actione hic sustineam, & omnes vires corporis, & animæ meæ, omnéque tempus vitæ meæ, in laudem, & gloriam Filii tui, secundùm ejus beneplacitum expendam, Amen.

San-

Sanctissima Deiparens Virgo MARIA, per sacratissima JESU Christi quinque vulnera, Crucis tormentum, desolatissimum agonem, & animæ tuæ septem dolores, deprecor te, in hora mortis meæ, fac me securum, ô dulcissima Virgo MARIA. Amen.

Memento obsecro Deipara Virgo MARIA, innocentis animæ tuæ angustiarum, quas tunc habuisti, quando unigenitus tuus in cruce pendens, im̃olatus est in oculis tuis, & recogita, quod omnia pro peccatoribus tolerare voluit, quorum ego unus sum, ipse enim morte suâ meruit, ut essem frater suus. Ergo ne dedigneris piissima mater, quin & ego sim filius tuus. Ad te confugio plenus fiduciâ, tibi me ipsum, & omnia mea com̃endo. Noli ergo piissima mater spernere me miserum peccatorem, propter peccata mea nimia, & noli abjicere à misericordia tua me, pro-

propter eum, qui amore mei nudus, & dilaceratus, pependit in cruce ante te, ſed gratiâ tuâ me reſpicere digneris, ſicut te, cum Joanne reſpexit Jeſus Filius tuus, Dominus, & Redemptor, qui eſt in ſæcula benedictus, Amen.

Beatæ, & glorioſæ ſemper Virginis MARIÆ, quæſumus Domine interceſſio glorioſa nos protegat, & ad vitam perducat æternam, Amen.

Nos cum prole pia,
Benedicat Virgo Maria. Amen.

Hymnus ad S. Joſephum.

MAgne Joſeph, fili David, cuſtos datæ Virgini, quem & Virgo nuncupavit, Patrem Chriſti Domini: qui fidelis ſervus Dei, datus es familiæ, precor velis curam mei, tanquam pater gerere. Cùm ferentem caſtam matrem conſpexiſſes u-

terum, & neſcires tamen patrem, cor gerebas anxium: ſed de cœlo mox inſtructus, poſuiſti dubium, fac ut omnis meus luctus tranſeat in gaudium. Dum in bethlem profecturus, pergeres cum Virgine, Deus nobis par futurus, natus eſt in tempore: quem in fœno collocatum, coluiſti gnaviter, nunc in cœlo elevatum, ora pro me jugiter. Vim Herodis evaſiſti monitus ab Angelo, in Ægyptum cùm duxiſti virginem cum parvulo: per mœrorem, quem tuliſti, iſto in exilio: cùm gravabor horâ triſti, mihi ſis auxilio. Ex Ægypto cùm defeſſus, Galilæam peteres, es in Nazareth digreſſus, ut ſecurus degeres: in florentis hortũ mentis, amas Jeſum ducere, da floreſcat, & niteſcat hortus meæ animæ. Quàm dolebas, cùm quærebas duodennem Jeſulum, ſed inventus, & retentus, auxit ille gaudium: Jeſum lumen oculorum fac me nunquam perdere, ſemper

per puritáte morum, menti adſit integræ. Inter Jeſu, & Mariæ manus integerrimas, ſpiritum emittis piè, hinc ad ſedes ſuperas: eja Jeſu, & Mariæ te conjunge tertium, quando me ſupremâ die, mors citabit anxium. Cliens tibi dedicatus ſolvit hoc officium, ejus votis tu vocatus redde beneficium: ut poſt hujus vitæ metam tuo patrocinio, tecum vivam vitam lætam, cœli in palatio, Amen.

Antiph. Salve Patriarcharum decus, & Eccleſiæ ſanctæ Dei œconomus qui panem vitæ, & frumentum electorum conſervaſti.

℣. Ora pro nobis beatiſſime Joſeph.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Sanctiſſimæ genetricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis,

 & re-

& regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Valde honorandus, & amandus eſt beatus Joſephus.
℟. Inter cujus brachia Dominus recubuit.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui beatum Joſephum, juſtum filium David, beatiſſimæ Virgini Mariæ, ſponſum providiſti, & Filio tuo Jeſu Chriſto, nutritium elegiſti, da quæſumus, ut ejus precibus, & meritis, tranquillâ pace lætemur, & ad perpetuæ viſionis tuæ conſolationem perducamur. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat, in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

O!

O! Sancte Joseph, qui tanquam Pater, & manuductor Christum Jesum in pueritia, & juventute, per omnes peregrinationis humanæ vias fidelissimè deduxisti: & mihi obsecro, in vitæ meæ peregrinatione, tanquam comes, & ductor assiste, nec unquam permitte me à via mandatorum Dei declinare; sis in adversis præsidio, in ærumnis solatio, donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum, & sanctissima sponsa tua Virgine MARIA, omnibúsque sanctis, æternùm in Deo JESU meo exultem, Amen.

VIrginum Custos, & Pater sancte Josephe, cujus fideli custodiæ ipsa innocentia Christus Jesus, & Virgo Virginum Maria in terris commissa fuit, te per utrumque charissimum pignus tuum, JESUM, & MARIAM, obsecro, & obtestor; ut me

me ab omni immunditia præſervatum, mente intaminatâ, puro corde, & caſto corpore Jeſu, & Mariæ ſemper facias caſtiſſime famulari, Amen.

O Sanɛte Joſeph, qui in ſuaviſſimo Jeſu clientis tui, & dulciſſimæ Sponſæ tuæ Mariæ complexu, ex hac vita emigrâſti: ſuccurre mihi ô ſanɛte Pater cum Jeſu, & Maria, tunc potiſſimùm, quando mors, vitæ meæ finem imponet, illúdque, quod unicè peto, ſolatium mihi impetra, ut in iisdem Jeſu, & Mariæ brachiis, expirem. In manus veſtras vivens, & moriens, commendo Spiritum meum. JESUS, MARIA, JOSEPH.

Hymnus ad S. Stephanum Protomartyrem.

SUmmi Dei pretioſe, Protomartyr Stephane, qui virtute charitatis, circumfultus undíque, Dominum pro inimico exoraſti

oraſti populo; funde preces, pro devoto tibi nunc collegio, ut tuo propitiatus interventu Dominus, nos purgatos à peccatis, jungat cœli civibus; ubi chorus beatorum lætatur Spirituum, ubi animæ juſtorem claro gaudent lumine, Regem in decore ſuo cernentes cum jubilo; gloria, & honor Deo, usquequaque altiſſimo, unâ Patri, Filióque, inclyto Paraclyto, cui laus eſt, & poteſtas, per æterna ſæcula, Amen.

℣. Stephanus vidit cœlos apertos.
℟. Vidit, & introivit, beatus homo, cui cœli patebant.

Oremus.

DA nobis quæſumus Domine imitari quod colimus: ut diſcamus, & inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro perſecutoribus exorare, Dominum noſtrum.

Omni-

Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias Martyrum, in beati Levitæ Stephani sanguine dedicâsti; tribue quæsumus, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit.

Ad S. Franciscum Seraphicum.

Antiph. Cœlorum candor splenduit, novum sidus emicuit, sacer Franciscus claruit, cui Seraphim apparuit, signans eum charactere, in volis, plantis, latere, dum formam crucis gerere vult, corde ore, opere.

℣. Signâsti Domine Servum tuum Franciscum.
℟. Signis redemptionis nostræ.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra, tui amoris igne, in carne sanctissimi

mi Francisci Seraphici, passionis tuæ sacra stigmata renovâsti, concede propitius, ut ejus meritis, & precibus, crucem omnium adversitatum nostrarum, imperturbato corde patienter feramus, & dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus,

℣. Mihi autem absit gloriari.
℟. Nisì in cruce Domini nostri Jesu Christi.

Oremus.

DEus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Ad S. Antonium de Padua.

Antiph. Si quæris miracula, mors, error calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri ſurgunt ſani, cedunt mare, vincula, membra, réſque perditas petunt, & accipiunt, Juvenes, & cani, pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas, narrent hi qui ſentiunt, dicant Paduani. Cedunt, &c. Gloria Patri &c. Cedunt, &c.

℣ Ora pro nobis beate Antoni.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

ECcleſiam tuam beati Antonii confeſſoris tui deprecatio votiva lætificet, ut ſpiritualibus ſemper muniatur auxiliis, & gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

℣. Oculi Domini ſuper fideles terræ.
℟. Et ſuper timentes eum gratia ejus.

Ore-

Oremus.

MItissime, & clementissime Jesu, qui beatum Antonium de Padua, Confessorem tuum, perpetuis illustras miraculorum splendoribus, concede propitius: ut quæ per ejus merita fideliter petimus, per illius intercessionem efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ad Sanctum Ignatium.

Antiph. In fraude circumvenientium illum, adfuit illi, & honestum fecit illum.

℣. Custodivit illum ab inimicis.
℟. Et à seductoribus tutavit illum.

Oremus.

DEus, qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio, militantem Ecclesiam roborâsti, concede: ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris,

coronari cum ipſo mereamur in cœlis. Per Dominum noſtrum.

℣. Ora pro nobis S. Ignati.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEus qui Servum tuum S. Ignatium de mundi caſtris, ad ſpiritualis militiæ triumphos evocâſti, præſta quæſumus, ut eum ſequamur ducem morum, & protectorem conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad S. Franciſcum Xaverium.

Antiph. Tæduit me vitæ meæ, videntem mala univerſa, eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem, & afflictionem Spiritûs.

℣ Beatus vir cujus eſt nomen Domini Spes ejus.
℟. Et non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.

Ore-

Oremus.

DEus qui glorificantes te glorificas, & in ſanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius: ut qui beati Franciſci Confeſſoris tui, glorioſa merita colimus, ejus pia patrocinia ſentiamus. Per Dominum &c.

℣. Ora pro nobis S. Franciſce Xaveri.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEus qui Evangelium regni tui, per barbaras gentes, & reconditas nationes, S. Franciſci tui Xaverii prædicatione ſeminâſti, & ejus ſanctitatem puriſſimi corporis incorruptione declaras, concede quæſumus: ut qui ejus memoriam agimus, eum morum imitatione ſequamur. Per Dominum noſtrum.

Hymnus ad S. Sebaſtianum.

SEbaſtiane Martyrum, & gemma Chriſti militum, cui fuêre ſpicula, pennæ ad beata gaudia. Oculo fideli reſpice, contagionis tempora, & ſanitatis impetra, tibi dicatis munera.

℣. Ora pro nobis beate Martyr Sebaſtiane.
℟. Ut mereamur peſtem evitare, & promiſſionem Chriſti obtinere.

Oremus.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, ut intercedente beato Sebaſtiano Martyre tuo, & à cunctis adverſitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente.

℣. Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis.
℟. Replebimur in bonis domûs tuæ.

Oremus.

DEus, qui concedis ſancti Martyris tui Sebaſtiani memoriam celebrare, da

da nobis ejus meritis, & precibus, ab ipſa peſte, & omni morbo contagioſo, ab improviſa morte, ab omni adverſitate corporis, & animæ liberari, nobiſque tantum vitæ ſpacium, & tantam emendationem peccatorum noſtrorum donare digneris, ut ejusdem beati Martyris interventu, poſt hoc exilium, in cœleſti gloria collætemur in æternum, Amen.

Hymnus ad S. Catharinam.

GAude Virgo Catharina, quam refecit lux divina, ter quaternis noctibus. Gaude quòd tuâ doctrinâ, Philoſophos à ruina traxiſti, & erroribus. Gaude quia meruiſti, confortari voce Chriſti, per preces divinitùs. Gaude quia convertiſti, Sponſam Regis, & vidiſti, rotas fractas cœlitùs. Gaude ſertis coronata, & in ſyna venerata, olei ſtillamine. Eſto nobis advocata, apud Deum Virgo grata, in noſtro certamine.

Antiph.

Antiph. Prudentes Virgines, aptate veſtras lampades, ecce Sponſus venit, exite obviam ei.

℣. Ora pro nobis S. Catharina.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEus, qui dediſti legem Moyſi in ſum̄itate montis Synai, & in eodem loco, per ſanctos Angelos tuos, corpus beatæ Catharinæ Virginis, & Martyris tuæ, mirabiliter collocâſti; præſta quæſumus, ut ejus meritis, & interceſſione, ad montem qui Chriſtus eſt, pervenire valeamus. Per eundem &c.

Hymnus ad eandem.

AVe Virgo Catharina, ave Martyr, & Regina, ave Sponſa Chriſti vera, ave mitis, & ſincera, ave Virgo Deo digna, Chriſto, prece me conſigna, preces audi, juva votum, cor in bono ſit immotum. Chriſtus faxit cor contritum, regat

viſum

visum, & auditum, regat gustum, & olfa-
ctum, per te virgo regat tactum, ut in cun-
ctis te petente, vivam Deo, purâ mente.
O! beata Catharina Babylonis de senti-
na, juva rapi me clientem, Christo præsta
servientem, Christum pro me fac apella,
salvet mortis de procella. Superare juva
mundum, ne demergar in profundum, ne
permittar naufragari, in peccatis in hoc
mari, Virgo Dei nunc memento, quo la-
bore quo tormento, regnum Dei meruisti,
& sic cœlos ascendisti. In conspectu Vir-
go Dei, memor esto precor mei, memor
esto supplicantis, ut de malis lever tantis.
In peccatis constitutus, mille malis invo-
lutus, per te precor expediri, vellem sce-
lus impediri. Tu me vise tunc infirmum,
fac ut Christus faxit firmum, agonista Dei
fortis, esto præsens horâ mortis. Decum-
bentem fove leva, fac de morte salver sæ-
va, ut resurgam novus homo, in cœlesti

Civis

civis domo. Cùm poſtrema venit hora, adſis Virgo tunc decora, non me duplex mors infeſtet, Jeſus Chriſtus illud præſtet, tuâ præce exoratus, voto tuo imploratus, idem Pater idem Natus, det Mariæ dulcis Gnatus, idem donet ſummum Flamen, quod cum illis regnat, Amen.

Hymnus ad S. Barbaram.

MAtutino tempore, Barbara beata, in obſcuro carcere, fuit illuſtrata, à cœleſti lumine, quo eſt viſitata, & à Rege gloriæ ſecum deſponſata. Horâ prima Præſidem ſævus Rex affatur, ut ad primum lapidem Barbara trahatur, ſi verbo, & opere Chriſtus non negatur, natam vult occidere Rex, quod perpetratur. Virgo ad prætorium horâ tertiarum ducta, teſtimonium Præſes fert amarum, contra caſtam filiam, Sponſo cœli charam, dicens eſſe omnium, hanc dignam pœnarum.

rum. Horâ ſextâ corpore, eſt virgo nudata, rubro fuſo ſanguine, nervis flagellata, cilicino tegmine durè confricata, à Chriſto in carcere, plagis eſt ſanata. Horâ nonâ latera furcis perforantur, ejus membra tenera, lampade cremantur, os, & caput in ea, malè malleantur, mox obtusâ frameâ, mammæ amputantur. Hæc flagellis cæditur veſperarum horâ, per plateas trahitur nuda, ſine mora, à patre occiditur, Barbara decora, ſtolâ Dei tegitur ſanè fit decora. Horâ completorii à Rege decollata, filia Dioſcori fuit tumulata, & per manus Angeli Deo comportata, anima Dioſcori igne devorata. Has preces ad te fuſas Barbara beata, fero tibi debitas, ut à repentina, plaga me cuſtodias, atque à rapina dæmonis me protegas, & cœlum propina.

℣. Ora pro nobis ſine mora, S. Virgo Barbara.
℟. Ut ſimus digni ex hac hora ſemper Chriſti gratiâ.

Oremus.

OStende nobis Domine quæſumus tuæ pietatis miſericordiam, quam in ſancta Virgine, & Martyre tua Barbara piè, & miſericorditer oſtendiſti, ut ipſius meritis, & precibus à ſubitanea, & improviſa morte liberemur, & ante diem, & horam exitûs noſtri, tui ſacratiſſimi corporis, & ſanguinis, ſacræque unctionis Sacramentis, ſalubriter muniamur; eáque intercedente, ab omni hoſtium incurſu protegamur, & ad te piâ lætitiâ perducamur. Per Dominum noſtrum, Amen.

℣. Ora pro nobis S. Virgo, & Martyr Barbara.
℟. Ut felix nobis ſit mortis hora.

Oremus.

SUpplicio tibi ſanctiſſima Virgo, & Martyr Chriſti Barbara, ut ſubvenias mihi famulo tuo in omnibus neceſſitatibus, & anguſtiis meis, ad te enim ſuſpiro, & ad

te oculos meos, & cor meum dirigo, te mihi in advocatam eligo, tuæ protectioni animam, & corpus meum committo, tu clementissima Virgo, esto mihi indigno famulo tuo in tribulatione solatium, in omni perturbatione refugium, circumda me tuæ defensionis muro inexpugnabili, contra omnes inimicos meos visibiles, & invisibiles, & contra omnia pericula corporis, & animæ, & esto mihi auxiliatrix specialissima apud misericordem Deum, ut non secundùm mea merita sinat me puniri, sed per tuum interventum consequi merear tecum in cœlestibus gaudere, Amen,

℣. Ora pro nobis S. Barbara.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

O Sanctissima Virgo Barbara, quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi in mortis articulo obsecro, ut suppedites,

tes, adjuva me miſerum, ne in peccatis moriar; effectum tunc habeat, tuâ interceſſione, primitus à Chriſto tibi facta promiſſio, cùm fidem ejus, ſanguine tuo conſecrares, redeat in memoriam ſponſo tuo, virgineus collo tuo exuberans ſanguis, recordetur ardentiſſimæ tuæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittat nisì confeſſione expiatam, & Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento refectam, Am.

Hymnus ad eandem.

FAtalis ô agonis Patrona Barbara! cœleſtibus coronis, gemmíſque fulgida, me terret imminente mors certa ſpiculo, ſed virgo te favente, ſum par periculo. Tu vincis innocenti candore lilia, per prata quæ nitenti, ſtant lacte turgida, da candido nitore, ut Virgo fulgeam, caſtóque fac amore, ut purus ardeam. Dum proprio cruore aſperſa, pingeris; vincis roſas rubo-

rubore, quæ ſtant in hortulis, ô cœlico vireto plantate floſcule, hoc orbis in vepreto, me quæſo reſpice. Ut axe ſunt ſereno nocturna ſidera, ut vere ſunt amœno, jucunda flumina, ſic Virgo charitatis, es luce fulgida, ſic virgo puritatis, es rore limpida. Te ſentiunt Patronam, quos morbus opprimit, te ſublevare pronam, quos cura deſerit, angore cum ſupremo, me morbus opprimet, ſuccurre quando nemo, levamen adferet. Cùm ferreo ſopore, mors membra vinciet, & tartarus furore bacchante ſæviet, dum judicis ſeveri, tribunal horreo: tum virgo me tueri, ne differ, obſecro, Amabo te, ſonabo, dum vita manſerit, magísque prædicabo, cùm vita ceſſerit, intérque lilieta, cum me receperis, queis gaudiis repleta, ô Virgo! paſceris. Admitte noſtra vota, ô ſancta Barbara! profecta mente totâ, Pa-

tro-

trona maxima, exopto te videre, cùm cesso vivere, tunc oro me tuere, cœlóque suscipe.

Hymnus ad eandem.

COEperat solis jubar albicare, cœperat terris radiare lumen, diva cum plenũ tenebris revisit, Barbara claustrum: sed sator lucis Deus, & diei, plenus affluxit miserationum, fluminis instar: cincta nec tantùm fuit illa luce, sed voluptates etiam beatas inter, & circum penetrale cordis, Barbara sensit; Plenus irarum Pater, & Deorum, filiam sævum rapit ad tribunal, urget, ut supplex veneretur aras, filia thure: barbaris quanquam cruciata pœnis, non tamen jussis gerit obsequelam, stat suis verbis, fideíq; leges, Barbara servat. Sacra cum virgo venit ad tribunal, impius judex tonat inter enses, audet in veræ fidei parentem, fundere probra: in

Jo-

Jovem virgo precibus fatiget, impius judex gladium minatur, virgo ſed flocci facit imperatum, judicis enſem. Virgo Divorum ſacra cùm tuetur, nuda crudeli laceratur ictu, manat è membris cruor, & cruore terra madeſcit: acriter quamvis laniata virgo, non tamen mentem laniata mutat, carcerem vidit Deus, & medelis vulnera curat. Sit licet virgo ſatiata pœnis, non tamen pœnis ſaturata mens eſt, judicis ferrum jubet expediri judicis ira: Virginis ferrum venit in mamillas, virginis flammæ veniunt in artus, virginis pugno quatiuntur ora, numinis ergò. Ave Martyr glorioſa, Barbaráque generoſa, paradiſi vernans roſa, caſtitatis lilium. Ave Virgo pulchra tota, charitatis fonte lota, dulcis, mitis, & devota, vas virtutum omnium. Ave criminis ignara, ſponſum audis voce clara, veni pulchra, veni chara, veni coronaberis. Ave Barbara

ſerena, pulchra quaſi luna plena, ſingulari cantillenâ, ſponſum Agnum ſequeris. Ave Barbara beata, quæ cum Sponſo præparata, nuptiarum ad optata, introîſti gaudia. Ave fulgens margarita! in corona Jeſu ſita, tam in morte, quàm in vita, ſis nobis propitia. Virgo, crudelis Patris, icta ferro, virgo mortali ſpoliata vitâ, auget aſtrorum ſacra tecta donis, auget, & orbem: membra nam ſervat tumulata mundus, Spiritus verò nitet inter aſtra, & ſerenata ſinè fine cernit, numinis ora. Sint tibi grates Pater, atque laudes, nulla te Fili taceat vetuſtas, Spiritûs ſancti penetret per omnes gloria terras, Amen.

Hymnus ad S. Roſaliam.

AVe roſa ſine ſpina, contra peſtem medicina, Roſalia Dux inclyta, recens à mundo cognita. Exemplum ſecuta Chriſti, mundum relinquens, ſpreviſti quid-

quidquid Pater offerebat, quidquid aula promittebat, ad montana procurristi, specum ferro pertudisti, monitorem ut haberes, propositi quem videres. Angeli te docuerunt, modum novum ostenderunt, quo Deo preces solveres, rosas fragrantes mitteres. Antrum cœlum habuisti, in quo Christum conspexisti, Apostolis comitatũ, Angelis, Matre, stipatum. Ab hoc coronâ donata, ad nuptias invitata, terras libens reliquisti, cœlum felix introîsti. Tua sacra posthæc ossa, nulla unquam texit fossa, sed rupes, aquam jugiter stillans, occlusit fortiter. Post tot sæcla revelata, in Patronam orbi data, contra pestem nobis fave, dum tibi sonamus ave. Laus, honor, sit Majestati, uni trinæ Deitati, Rosaliam exaltanti, pestem per eam sedanti, Amen.

℣. Ascendat odor rosæ hujus in conspectum Dei.
℟. Et placetur ira altissimi.

Oremus.

DEus qui corpus famulæ tuæ, beatæ Rosaliæ Virginis, post tot sæcula intrà montes inventum, contra sævientem pestilentiam, sacrum amuletum fidelibus tuis esse voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui ejus commemoratione lætamur, ejus quoque intervenientibus meritis, à præsentibus periculis, & à malo pestilentiæ liberemur. Per Dominum &c.

Hymnus ad Sanctum Rochum.

AVe Roche sanctissime, nobili natus sanguine, crucis signaris schemate, sinistro tuo latere; tu qui profectus peregrè pestifera tactos lue, plusquam arte Angelicâ ope sanâsti cœlicâ; numinis in præsentia, nostra nunc serva Corpora, & crucis per subsidia, à peste mundum libera.

℣. Ora pro nobis S. Roche.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEus, qui per B. Rochum, ſingulare nobis, contra peſtem potentis tuæ dexteræ præſidium promiſiſti: præſta quæſumus, ut qui ejus memoriam piâ devotione recolimus, ejus quoque intercedentibus meritis, ab omni tum corporis, tum animæ mortifera lue, præſervemur. Per Dominum &c.

Hymnus ad S. Apolloniam.

VIrgo Dei egregia, pro nobis Apollonia, funde preces ad Dominum, ut tollat omne noxium. Ne pro reatu criminum, morbo vexemur dentium, ſed ſanitate capitis gratulemur & corporis.

℣. Ora pro nobis S. Apollonia.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ore-

Oremus.

DEus, pro cujus ſanctiſſimi nominis honore, beata Apollonia Virgo, & Martyr glorioſa, amaram, & horribilem dentium excuſſionem ſuſtinuit: præſta quæſumus, ut qui ejus memoriam, piâ devotione frequentamus, à tetro dentium dolore, immunes cuſtodiamur, & poſt hujus vitæ ærumnas, ad beatæ patriæ gaudia perducamur. Per Dominum &c.

Hymnus ad S. Luciam.

O Lucia poſt tormenta, & tot Erebi inventa, contra tenellam Virginem; inter ignes atque picem, cæcam rides mundi vicem, & ſtygis tyrannidem. Inter fœdos orci Manes, ſemper caſta virgo manes, nec è loco mobilis: tandem guttur perforata, Sponſa cœli præparata, Sponſo tuo redderis. Per hæc tua ſancta facta, oculorum lux intacta, ut ſit nobis im-

impetra, à dilectò tuo Jesu, & à meo dulci Jesu, qui est mundi gloria.

Antiph. In tua patientia possedisti animam tuam: Lucia Sponsa Christi, odisti quæ in mundo sunt, & corruscas cum Angelis: sanguine proprio inimicum vicisti.

℣. Ora pro nobis S. Lucia.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

EXaudi nos Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ Luciæ, Virginis, & Martyris tuæ festivitate gaudemus: ita ipsâ auxiliante, & piæ devotionis erudiamur affectu, & à nocivo oculorum nostrorum præservemur malo. Per Dominum nostrum, &c.

Hymnus ad S. Margaritam.

ÆTernitatis annulo, inserta Margarita, dilecti Sponsi digito, portari digna visa. Fac, ut qui terræ luto tenemur mise-

miſeri, eliberati, tuta poſſimus conſequi, & mente illibatâ puri à crimine, luce clari beatâ, queamus vivere.

℣. Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.
℟. Coronam de lapide pretioſo.

Oremus.

DEus, qui beatam Margaritam Virginem, per Martyrii, palmam tui regni feciſti conſortem; concede nobis quæſumus, ut per ejus exempla ad te pervenie mereamur. Per Dominum noſtrum.

Hymnus ad S. Eliſabetham.

O Felix animus Eliſabethæ, terrenis omnibus ſic expeditæ, ut ſceptro, ſolio, & ipsâ purpurâ ſpretis, ceu folio, amaret æthera. Quæ qui non diligit: in mortem labitur, quæ qui non eligit: æternùm perditur, ô ſancta anima! Regina vidua, ô pia Domina! lux ſereniſſima. Aſſiſte ſup-

ſupplici, & da contemnere, quod petit fragili, collapſum tempore. Amen.

Antiph. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.

℣. Ora pro nobis S. Eliſabetha.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

TUorum corda fidelium Deus illuſtra, & beatæ Eliſabeth precibus glorioſis, fac nos proſpera mundi deſpicere, adverſa patienter tolerare, & cœleſti ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Hymnus ad S. Stephanum, primum Regem Hungariæ.

COlumna ſacræ fidei, decus Panno-niæ, Rex ſanctè Stephane. Per quem purpurei flores Eccleſiæ, & virent animi fœcundo germine, ô chriſtiani populi, dul-

ces deliciæ, ſol ſereniſſime. Qui fœdas erebi, fugâſti tenebras, & ſanctas fidei dediſti faculas, tibi coronam cœlitùs delatam, ſinguli, gaudemus ſubditi. Felices animi, qui parent Stephano, beatum obſequi, eſt tali Domino, ſolatium Pannoniæ devotè ſupplicum, ô patrocinium! Per te confidimus æterna conſequi, quæ ſolùm petimus, trophæa ſolii, Amen.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.
℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oremus.

COncede quæſumus Eccleſiæ tuæ omnipotens Deus: ut beatum Stephanum Confeſſorem tuum, quem regnantem in terris, propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur glorioſum, in cœlis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Hym-

Hymnus ad S. Ladislaum.

LAdislai quæſo totis, te laudare poſſim votis, quem ſublimem terrâ, pias, inter preces, cœli vias meditatum, veneror. Qui in ſaxa convertiſti, aurum ſparſum, dum vidiſti, illud jaci, ut ſalvaret fugâ ſe, & ineſcaret, hoſtis tuos milites. Quem poſt fata Varadinum, in paratum terræſinum, currus liber à vectore, vi mirandâ tranſtulit: da ut in hac lachrymoſa valle, tua glorioſa facta, ſequar, & poſt mortem, tecum paris vitæ ſortem, æviternam conſequar.

Antiph. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et oſtendit illi Regnum Dei.

Oremus.

DEus qui beatum Regem Ladislaum, Confeſſorem tuum, diverſis decorâ-

ſti miraculis: præſta quæſumus, ut ejus ſuffragantibus meritis, ab omnibus ſemper muniamur adverſis, & gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum, &c.

Hymnus ad S. Emericum.

Emerice, caſtum lilium, flos illibate Pannonum, qui puritatis vinculo, te liberâſti ſæculo, & intuliſti floridis, Juſtitiæ areolis, me ſerva quoque liberum, ab omni ſorde ſcelerum, ne mentem meam inquinet, quidcunque Deo diſplicet.

Antiph. Cùm adhuc eſſet puer, cæpit quærere Deum Patris ſui David, & duodecimo anno, mundavit Judam, & Jeruſalem.

℣. Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.
℟. Coronam de lapide pretioſo.

Oremus.

DEus, qui beatum Emericum, juvenili flore nitentem, in ſanctorum tuorum conſortium ſublimâſti, præſta quæ-

ſumus

ſumus, ut quem tibi feciſti eſſe devotum, ejus apud te perpetuum ſentiamus auxilium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat, in unitate Spiritûs S. Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Memorare noviſſima tua.

DIes iræ, dies illa,
Solvet ſæclum in favilla:
Teſte David cum Sibilla.
Quantus tremor eſt futurus,
Quando Judex eſt venturus,
Cuncta ſtrictè diſcuſſurus.
Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulchra Regionum,
Coget omnes ante Thronũ.
Mors ſtupebit, & natura,
Cùm reſurget Creatura,
Judicanti reſponſura,

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde Mundus judicetur.
Judex ergo cum ſedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nîl inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cum vix juſtus ſit ſecurus.
Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare Jeſu pie,
Quod ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte Judex ultionis,
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.

Ingemiſco, tanquam reus:
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicanti parce DEUS.
Qui MARIAM abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ:
Sed tu bonus, fac benignè,
Ne perrenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum Benedictis.
Oro ſupplex & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.
Lachrymoſa dies illa,
Quâ reſurget ex favilla,
Judicandus homo reus,

Huic ergo parce DEUS.
Pie JESU Domine.
Dona eis requiem, Amen.

Orationes tempore ægritudinis.

O Pater æterne, quòd me per infirmitatem visitas, hoc tuum est donum, & tua voluntas sancta, beneplacens, ac perfecta. Benedico te, & me resigno ad omnia, quæ tibi, ô sapientia æterna placuerint, in tempore, & æternitate. In manibus tuis sortes meæ; sive vivimus, sive morimur, tui, bone JEsu sumus. Fiat voluntas tua: sana me Domine, & Sanabor, salvum me fac, & salvus ero. Tu enim mortificas, & vivificas. Tu deducis ad inferos, & reducis.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, finde, & excoque me, si ita tibi visum est, in camino tribulationis, ut segni

fiam vas in honorem, & gloriam nominis tui, hic ure, hic ſeca: modò in æternum parcas.

O Pater, ô Medice animæ meæ! tu nôſti quid expediat, omnia in vero judicio feciſti, & amore ſummo, & ſapientiâ æternâ. Tu quæſo, mecum ſis in tribulatione, ut in patientia poſſideam animam meam: ſi de manu tua bona ſuſcepimus: mala quare non ſuſtineamus pro gloria æterna? Si oportuit te pati, & ita intrare in gloriam tuam, nonne, & me ſinè murmure, querela, oportet pati? cùm tot meis peccatis, infernum ſim toties promeritus; cùm tu mihi tanta paraveris; cùm amore mei, ô bonitas immenſa, & charitas infinita, dignatus ſis mori.

Conformatio voluntatis nostræ cum Divina, tempore morbi.

O Dulcissime JESU neque vitam, neque mortem, sed tuum beneplacitum desidero, te expecto, fiat mihi secundùm voluntatem tuam, si vis, ut moriar, dulcis JESU! suscipe Spiritum meum, & licet ad vesperum veniam novissimus, da mihi, ut tecum, & in te requiem accipiam sempiternam: si verò vis, ut diutiùs vivam dulcis JESU! pro hoc gratiæ tuæ suffragio, rogo: da ut reliquum vitæ tempus corrigam, atque in holocaustum, me tibi totum offeram, in gloriam tuam, secundùm beneplacitum tuum. Amen.

Affectus ægrotantium.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum.

Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas.

Deus

Deus propitius eſto mihi peccatori : da veniam, in gratia tua, mori.

O cur unquam te offendi, ô amabiliſſima bonitas! ô Majeſtas colendiſſima.

Doleo jam, ſincero amore tui, qui amari ſuper omnia, infinitè dignus es.

Agnoſco, & amplector charitatem tuam erga me, deteſtor ingratitudinem meam erga te.

Recordare JESU pie, quòd ſim cauſa tuæ viæ, ne me perdas illâ die.

Qærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus, tantus labor non ſit caſſus.

Litaniæ pro Infirmis.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis DEUS. Miſerere nobis.

Fili Redemptor Mundi DEUS. Miſerere nobis.

Spiritus Sancte Deus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere nobis.

Qui ſanas contritos corde.
Qui vulneras, & mederis.
Qui mortificas, & vivificas.
Qui deducis ad inferos, & reducis.
Qui orantes in ſua infirmitate, curare conſueviſti.
Qui propter miſericordiam tuam Salvos facis in te.
Qui Job ulcere peſſimo percuſſum, ſanâſti.
Qui Ezechiam ad te clamantem, à morbo liberâſti.
Qui dæmonium à Sara depuliſti.
Qui Tobiam, lumen Cœli videre feciſti
Qui Chananæam, pro Filia poſt te clamantem, exaudiſti.
Qui Socrum Petri, à Febri liberâſti.

Miſerere nobis.

Qui Mulierem contractam, ad perfectam ſanitatem erexiſti.
Qui filium Principis, jam mori incipientem, à febri ſalvâſti.
Qui puerum Centurionis, verbo ſanâſti
Qui Paraliticos, & leproſos ſanâſti, & mundaſti.
Qui à Spiritibus immundis vexatos, & obſeſſos liberaſti.
Qui Mulierem, per tactum fimbriæ tuæ à ſanguinis fluxu ſanâſti.
Qui Surdos audire feciſti.
Qui Claudis greſſum reſtituiſti.
Qui Mutorum ora aperuiſti.
Qui Cœcos illuminâſti.
Qui omnes infirmos, & ægrotos tangendo ſanâſti.
Qui omnes oneratos, & laborantes reficis.
Qui omnes languores noſtros portâſti.
Qui Filium mortuum, Matri viduæ vivum reſtituiſti.

Miſerere nobis.

Qui Filiam Archi-Synagogi ad vitam revocâſti.
Qui Lazarum quadriduanum, à mortuis reſuſcitâſti.
Qui ægrotos viſitâſti, & viſitantibus præmia æterna promiſiſti,
Qui per umbram Petri, multos ab infirmitatibus ſuis liberâſti.
Qui per ſudaria, & ſemicinctia Pauli multos infirmos curâſti.
Qui per oſſa Eliſæi mortuum ad vitam revocâſti.
Deus adjutor, & Protector noſter:
Suſceptor, & liberator noſter.
Refugium noſtrum, & cornu ſalutis noſtræ.
Fortitudo, & patientia noſtra.
Salvator, & Redemptor noſter.

} Miſerere nobis.

Propitius eſto. Parce nobis Domine.
Propitius eſto. Exaudi nos Domine.
Propitius eſto. Libera nos Domine.

Ab

Ab omni malo.
Ab omni peccato.
Ab omni morbo, & languore.
A peste, & omni contagione.
Ab omni impatientia, & pusillanimitate.
Ab Insidiis diaboli.
A Periculis mortis.
A Doloribus inferi.
A subitanea, & improvisa morte.
A damnatione perpetua.
Per tentationem tuam.
Per Lachrymas, & ærumnas tuas.
Per labores, & fatigationes tuas.
Per tristitiam, & tœdium tuum.
Per pavorem, & mœrorem tuum.
Per sitim, & famem tuam.
Per agoniam, & sanguineum sudorem tuum.
Per sacrosancta vulnera tua.
Per pretiosum sanguinem tuum.

Libera nos Domine.

Per

Per Crucem, & Passionem tuam. Libera nos Domine.
Per mortem, & Sepulturam tuam. Libera nos Domine.
Per gloriosam Resurrectionem tuam. Libera nos Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam. Libera nos Domine.
In die judicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas.
Ut nobis indulgeas.
Ut spatium veræ penitentiæ, nobis concedere digneris.
Ut compunctionem cordis, & fontem lachrymarum nobis donare digneris.
Ut nos visitare, & consolari digneris.
Ut aërem salubrem, & sanitatem mentis, & corporis, nobis largiri digneris.
Ut indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum, nobis concedere digneris.

Ut gratiam, & consolationem sancti Spiritûs, cordibus nostris infundere digneris.
Ut nos in hora mortis, contra omnes diaboli insidias, munire digneris.
Ut nos in tua gratia mori, & ad finem usque perseverare concedas.
Ut extrema nostra benedicere, & sanctificare digneris.
Ut Spiritum nostrum in manus tuas suscipere digneris.
Ut post obitũ nostrum, Paradisi Januas nos gaudenter introire concedas.
Ut nos exaudire digneris.
Fili DEI.

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster, &c.
Salvos fac servos tuos.
Deus meus sperantes in te.
Convertere Domine usquequo.
Et deprecabilis esto super servos tuos.
Esto nobis Domine turris fortitudinis.
A facie inimici.
Nihil proficiat inimicus in nobis.
Et filius iniquitatis, non apponat nocere nobis.
Adjutor noster esto, ne derelinquas nos.
Neque despicias nos, Deus salutaris noster.
Adjuva nos Deus salutaris noster.
Et propter gloriam nominis tui, Domine libera nos.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui virtutem, ſuper infirmos famulos tuos, clementer oſtende, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti Eccleſiæ ſuæ ſanctæ incolumes repræſentari mereantur.

Deus, qui unigeniti tui patientiâ antiqui hoſtis contriviſti ſuperbiam, da nobis quæſumus, quæ idem pro nobis pertulit dignè recolere, ſicque exemplo ejus cuncta nobis adverſantia æquanimiter tolerare.

Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime Redemptor, qui hominē invidiâ diaboli, ab æterna felicitate dejectum, unigeniti Filii tui pretioſo ſanguine redemiſti, vivifica nos famulos tuos, gratiæ tuæ vigore, & jacentibus manū porrigè ſalutarem: reple nos

omni gaudio cordis, & lætitiâ ſpirituali: expelle à nobis omnes hoſtiles inſidias, & mitte nobis medium ſalutis, Angelum pacis, qui nos in anguſtiis poſitos, conſolationibus tuis attollat, quibus in præſenti conſequamur auxilium, & in futuro prœmia comprehendamus æterna.

Miſericordiam tuam, humiliter deprecamur omnipotens Deus, quæ amiſſam nobis gratiam reconciliet, atque munus patientiæ in illatis omnibus ſemper, & ubique protegendo impertiat.

Deus ſub cujus nutibus, vitæ noſtræ momenta decurrunt, ſuſcipe preces humiliter ad te clamantium, ut de omni adverſitate, & ægritudine liberati, perpetuâ te, gratiarum actione laudemus. Per Dominum noſtrum, &c.

Quin-

Quinque Proteſtationes pro felici morte.

IN nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritûs ſancti. Ego infelix, & miſer peccator, N. proteſtor in præſentia tua, ô Angele Dei, aſſignate mihi à Divina Majeſtate, pro ductore, cùm primùm natus ſum; velle, & deſiderare me mori, in ea ſola vera, & Catholica fide, quam ſancta Romana, & Apoſtolica tenet, & profitetur Eccleſia, & in qua omnes ſancti quotquot fuerunt unquam, uspiam mortui ſunt; nec deſidero diutiùs vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè, & ex toto ſubjicio.

PRoteſtor etiam ô Angele Dei, deſiderare, & velle me, ſub tua ſancta cuſtodia, & protectione diſcedere ex hac vita, cum ſpe divinæ miſericordiæ, ſinè ulla

ulla titubatione in fide, non obstante quacunque multitudine, & gravitate peccatorum meorum, certò sciens, & firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi sanguinis, Domini nostri Jesu Christi, sufficientem futuram fuisse, non solùm, ut me salvaret, sed universum etiã, genus humanum, quin, & mille mundos, si ita placitum fuisset, divinæ suæ Majestati.

SImiliter protestor ô Angele sancte, petere me, ex intimo corde participem fieri misericordiæ Redemptoris, & Domini mei Jesu, remissionémque omnium peccatorum meorum consequi; sciens, quod ipse eam nulli peccatori, quantumvis gravi, & abominabili neget, ritè contrito, & confesso, ídque propter merita amarissimæ suæ passionis, & mortis, & virtutem pretiosissimi sanguinis sui, pro me indignissimo, in ligno Crucis copiosè

piosè effusi, per merita demum ſanctiſſimæ Matris ſuæ, Virginíſque Mariæ, & omnium ſanctorum, & Angelorum.

ITerum proteſtor ſanctiſſime mi Cuſtos, ſupplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædeſtinavit in ſuam gloriam, etiamſi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio, ad noviſſimum uſque judicii diem; dummodo tandē, per infinitam ipſius miſericordiam, conſequar vitam æternam.

SAnctiſſime, & vigilantiſſime Cuſtos, proteſtor demum conſtituere me te procuratorem teſtamenti, ultimæque voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo JESU, tres gratias: Prima eſt, ut mihi donet unum ſolum lachrymoſum ſuſpirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipſe, dum per tres horas, vivus fuit

fuit in cruce, quorum efficaciâ, & virtute, mitigentur lachrymabiles illi singultus, cordísque pressuræ, & angustiæ, quibus in hora mortis affligar. Et ut gloriosissima Dei Mater MARIA, dignetur me vel unico etiam aspectu, ex iis, quos ipsa sub cruce stans habuit, defigendi in unicum Filium suum, virgineos oculos, suscipiendo me, in eorum numerum, qui ejus precibus, & meritis, in die judicii obtinebunt salutem, & vitam sempiternam. Altera gratia est, ut tu fidelissime Custos meus, in illa potissimùm hora, mihi succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo, ut inveniam benignum judicem, meritô flagrantissimæ illius charitatis, quâ paternum ipsius pectus, in cruce fuit inflammatum, pro salute peccatorum. Ultima demum gratia est, ut tu idem piissime custos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eámque de ergastulo

lo corporis egressa, dexteræ tuæ potentiâ, Redemptori meo offeras, ut eum unâ tecum, & sanctis omnibus, in cœli gaudiis videam, perfectè amem, eóque æternaliter fruar, cui sit laus, honor, & gloria, in omnem æternitatem, Amen.

Testamentum hominis Christiani.

IN nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. Ego N.N. animam meam trado, & reddo in manus Creatoris, & Redemptoris sui, corpus verò meum terræ, putredini, & vermibus relinquo, temporalibus bonis, ac deliciis, quæ vanitas sunt vanitatum, prompto animo renuncio, te solo Deo, ac Domino meo frui cupio, de peccatis meis, ex animo doleo id eò solùm, quòd te Deum meum, quem super omnia amo, offenderim: seriam emendationem, & satisfactionem, tuâ ope

præſtandam, promitto. Offenſas omnes, omnibus lubens condono, quod idem, ut mihi fiat, humillimè peto; Credo quidquid Eccleſia Catholica mihi credendum proponit. Spero me per infinitam miſericordiam tuam, mi Deus, remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam, conſecuturum. Eundem te, verum Deum meum, trinum in perſonis, ſum̃um bonum meum, amo ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis, mala perinde, ac bona, de manu tua cum gratiarum actione accepto, & me totum divinæ providentiæ tuæ, ſanctiſſimóque arbitrio committo.

O S. Maria! S. Joſeph, S. Barbara, S. Angele Cuſtos, ſancti Patroni mei, N.N. & omnes Sancti, adeſte obſecro in hora mortis meæ, & me interceſſionibus veſtris, dignemini juvare.

Lita-

Litaniæ Pœnitentiarum, quar... excitatur peccatoris animus ad ſpem ina... tiæ, & ſtudium pœnitentiæ.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis DEUS. Miſerere nobis.

Fili Redemptor Mundi DEUS. Miſerere nobis.

Spiritus Sancte Deus. Miſerere nobis

Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere nobis.

Pars prima.

Deus qui non vis mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat.

Qui Angelis peccantibus non pepercisti: ſed in tartarum, cruciandos detruſisti.

Qui Adam, poſt lapſum ad agnitionem culpæ, & reſipiſcentiam vocâſti.

Miſerere nobis.

Qui impium Cain, de venia desperantem, à facie tua projecisti.

Qui Noë, diluvio, & impiorum exitio, per arcam clementer eripuisti.

Qui Loth, de medio peccatorum eduxisti.

Qui Pharaonem, fictè pœnitentem, & induratum, tandem horribiliter punivisti,

Qui Populum Israël, de tribulatione ad te clamantem, è dura Pharaonis servitute, liberâsti.

Qui Moysi, quadraginta diebus jejunanti, legem in monte dedisti.

Qui precibus Moysis, populi prævaricantis peccata, dimisisti.

Qui Jonam, ex ventre Ceti ad te clamantem, salvâsti.

Qui Ninivitis, Jejunio, sacco, & cilicio pœnitentibus, pepercisti.

} Miserere nobis.

II. Qui

11.

Qui Davidem, per Nathan, ad agnitionem culpæ, venire fecisti.

Qui Davidis confitentis, & in cilicio pœnitentis peccatum, transtulisti.

Qui eidem ob peccatum numerati populi, trium plagarum optionem, detulisti.

Qui Achab humiliato, & pœnitenti, pepercisti.

Qui Judith, in cilicio, & cinere, pro salute populi deprecantem, exaudisti.

Qui Ezechiam, cum populo in sacco, cinere, & Jejunio te invocantem, ab exercitu Assyriorum, liberâsti.

Qui Manassem pœnitentem exaudisti, & in regnum suum restituisti.

Qui Esther jejunantem, in oculis Regis Assueri, gratiam invenire fecisti.

Qui Mardochæum, in sacco, & cinere te invocantem, à patibulo liberâsti.

Miserere nobis.

Qui Machabæis jejunantibus, & in sacco, & cinere, te invocantibus, auxilio fuisti.

Qui Sacerdotes pro populo plorare, orare, & sacrificare jussisti.

III.

Qui venisti in hunc mundum, peccatores salvos facere.

Qui redempturus mundum, Joannem pœnitentiæ præconem, præmisisti.

Qui eundem victûs, & vestitûs asperitate mirabilem, speculum pœnitentiæ, dedisti.

Qui quadraginta diebus, & totidem noctibus jejunâsti.

Qui dives in misericordia, propter nimiam charitatem, quà dilexisti nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificâsti nos in Christo.

Qui Matthæum in telonio sedentem, tuâ gratiâ prævenisti.

Miserere nobis.

Qui Publicanum cùm dolore, & humilitate pectus percutientem, juſtificationis gratiâ donatum, teſtatus es.

Qui Paraliticum, dimiſſis primùm peccatis, à morbo liberâſti.

Qui Filii prodigi ad patrem revertententis exemplo, peccatoribus ſpem veniæ, & indulgentiæ præbuiſti.

Qui Mulieri Samaritanæ, fontem aquæ vivæ, patefeciſti.

Qui Zachæi pœnitentis, & aliena reſtituentis, domui, ſalutem attuliſti.

Qui Chananæam, in oratione perſeverantem, benignè exaudiſti.

Qui Mulierem in adulterio deprehenſam, clementer abſolviſti.

Qui Publicanos, & peccatores recepiſti, & cùm eis manducâſti.

Qui Mariæ Magdalenæ multùm diligenti, peccata multa dimiſiſti.

Miſerere nobis.

Qui

Qui Petrum ter negantem benignè respiciens, ad agnitionem criminis, & lachrymas pœnitentiæ, permovisti.

Qui Latroni pœnitenti, pendens in cruce, paradisum promisisti.

Qui peccatum non fecisti, & peccata nostra in corpore tuo, super lignum pertulisti.

Qui attritus es propter scelera nostra.

IV.

Qui diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.

Qui quasi aurum in fornace, probas Electos tuos.

Qui das locum, & tempus pœnitentiæ, in peccatis.

Qui flagellas omnem Filium, quem, recipis, & diligis.

Qui, quos amas, arguis, & castigas.

Qui non vis aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

Miserere nobis.

Qui

Qui venisti quærere, & salvum facere quod perierat.
Qui misereris omnium, & dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.
Qui factus es propitiatio pro peccatis nostris.
Qui peccatorum, in jejunio, fletu, & planctu se ad te convertentium, misereris.
Qui misericordiam vis, & non sacrificium.
Qui non venisti vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.
Qui benignitate tuâ, nos ad pœnitentiam adducis.
Qui Paulum persequentem, ac devastantẽ Ecclesias, mirabiliter vocâsti.
Qui eundem triduo jejunantem, & orantem, illuminâsti.

} Miserere nobis.

Qui poſt pœnitentiam, omnium peccatorum noſtrorum non recordaris amplius. Miſerere nobis.

Deus benignè, miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Miſerere nobis.

V.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.

Ab omni malo·
Ab omni peccato.
A ſubitanea mala morte.
Per Baptiſmum, & ſanctum Jejunium tuum.
Per labores, & dolores tuos.
Per ſanguinem tuum, quem in remiſſionem peccatorum noſtrorum effudiſti.
In die tribulationis, & anguſtiæ, & tremendi Judicii tui.

} Libera nos Domine.

VI.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut ad veram pœnitentiam, nos perducere digneris.

Ut nos ipſos, dijudicare, & judicium tuum evadere poſſimus.

Ut dignos pœnitentiæ fructus tempeſtivè faciamus.

Ut ſicut exhibuimus membra noſtra ſervire immunditiei, & iniquitati, ſic ea nunc exhibeamus ſervire juſtitiæ, ad ſanctificationem.

Ut non demus ultra locum diabolo, nec ſol unquam occidat ſuper iracundiam noſtram.

Ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus.

Ut caſtigemus corpora noſtra, & in ſervitutem redigamus.

Ut non regnet peccatum in mortali noſtro corpore.

Te rogamus audi nos.

Ut non exhibeamus membra noſtra, arma iniquitatis.

Ut non diligamus mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.

VII.

Ut non conformemur huic ſæculo, ſed reformemur in novitate ſensûs noſtri.

Ut non plus ſapiamus quàm oportet, ſed ſapiamus ad ſobrietatem.

Ut non inebriemur vino, in quo eſt luxuria.

Ut tanquam vera Chriſti membra, carnem noſtram crucifigamus cum vitiis, & concupiſcentiis.

Ut omnis ſermo malus, ex ore noſtro non procedat, ſed ſi quis, bonus ad ædificationem fidei.

Ut omnis amaritudo, ira, & indignatio tollatur à nobis.

Te rogamus audi nos.

Ut non efficiamur inanis gloriæ cupidi.
Ut deponamus veterem hominem cum actibus ſuis, & novum induamus in juſtitia, & ſanctitate veritatis.
Ut non ſecundùm carnem vivamus, ſed ſpiritu facta carnis, mortificemus.
Ut divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis tuæ, nunquam contemnamus.
Ut adeuntes ad thronum gratiæ cum fiducia, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio oportuno.
Ut induti armaturam Dei, poſſimus ſtare, adverſus inſidias diaboli.
Ut cum metu, & tremore, ſalutem noſtram operemur.
Ut omnia, detrimentum arbitremur propter Chriſtum.

Te rogamus audi nos.

Ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. Te rogamus audi nos.

Ut per multas tribulationes hujus sæculi, nos in regnum DEI introire, concedas. Te rogamus audi nos.

Ut nos hic urere, & purgare, & in æternum parcere, digneris. Te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris. Te rogamus audi nos.

Fili DEI. Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos à malo.
Domine non ſecundùm peccata noſtra, facias nobis.
Neque ſecundùm iniquitates noſtras, retribuas nobis.
Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.
Citò anticipent nos miſericordiæ, quia pauperes facti ſumus nimis.
Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.
Ab occultis meis, munda me Domine.
Et ab alienis, parce ſervo tuo.
Ne memineris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum.
Neq; vindictam ſumas de peccatis noſtris.
Nè tradas Domine beſtiis animas confitentium tibi.

Et

Et animas pauperum tuorum, ne oblivi-
ſcaris in finem.
Domine averte faciem tuam à peccatis
meis.
Et omnes iniquitates meas dele.
Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.
Et Spiritu principali confirma me.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus, ad te veniat.

Oremus.

DEUS qui nullum reſpuis, ſed quantumvis peccantibus, per pœnitentiã piâ miſeratione placaris: reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, ut tua valeamus implere præcepta.

DEUS qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris: Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur; ut nos famulos tuos, de tua miſericordia confidentes, cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſi-

aſſiduâ protectione conſerves, ut tibi jugiter famulemur, & nullis tentationibus, à te ſeparemur.

DEus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem cognitionis humanæ, benigniſſimè reſpice, conatus noſtros, pietate tuâ proſequere, ut per immenſam miſericordiam tuam, peccatorum noſtrorum veniam, in tuo ſervitio conſtantiam, & tandem prœmia, perſeverantibus promiſſa, feliciter conſequamur. Per Dominum noſtrum. &c.

Agnoſce Domine Creaturam tuam, à te ſolo Deo vivo, & vero creatam, quia non eſt alius Deus, præter te: agnoſce repeto Domine, Creaturam tuam, & animam ſervi tui, cujus delicta juventutis, & ignorantias, ne memineris; ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam, memor eſto mei, in gloria charitatis tuæ. Liberet me à cruciatu Chriſtus, qui pro me

mori dignatus eſt. Chriſtus, verus ille Paſtor, inter oves ſuas me agnoſcat, & in ſorte electorum ſuorum conſtituat. Ita precor, ita ſpero, in nomine Dei Patris, qui me creavit; in nomine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro me paſſus eſt, in nomine Spiritûs ſancti, qui in me gratiâ ſuâ, ſæpiùs effuſus eſt. Amen.

Præparatio ad beatam mortem.

O Mi Deus! vitæ, ac mortis mei arbiter, in cujus manu ſunt ſortes meæ. Supreme, & juſtiſſime Judex, tremende Deus, non habeo os loquendi, nisì hoc tantùm verbum: juſtus es Domine, & rectum eſt judicium tuum; At tu ô infelix, & inſenſata anima mea, quid pro modica corruptibilis vitæ, & momentaneo quod delectat, elegiſti æternum quod cruciat? miſericordiam, miſericordiam ſupplico ô infinitæ miſericordiæ Deus! qui non læ-

taris

taris in perditione peccatorum, en habes ante thronum clementiæ tuæ proſtratum, ſupplicem, & confitentem reum, cui unicum hoc pro totius vitæ gemitu relictum eſt, peccavi, & eheu! petulantiſſimè irritavi iram tuam, miſerere mei, & ne projicias me, à facie tua, ſed potiùs hìc ure, hìc ſeca, hìc flagella, ut ſaltem in æternum parcas.

Agnoſco doleo, deteſtor, & abhorreo, tot pudendas improbitates, ſceleratiſſimæ vitæ meæ, quia læſæ Majeſtatis crimina, amantiſſimi Patris, & ſum̄i boni, Dei mei offenſa ſunt.

Ah! parce, parce clementiſſime Domine, per vitam, & mortem Chriſti Redemptoris mei, & ad ſatisfaciendum divinæ bonitati tuæ, ad emendationem iniquiſſimæ vitæ meæ, da ſpacium veræ pœnitentiæ, & per omnem, & extremum vi-

tæ meæ halitum rogo te, miſerere miſerere mei.

Aſpice pie Pater, piiſſimum Filium, pro nobis tam impia paſſum, reſpice clementiſſime Rex, quis patitur, & reminiſcere benignus, pro quibus patitur. Nónne hic eſt mi Domine, innocens ille, quem, ut ſervum redimeret, Filium tradidiſti; nunquid non author vitæ hic eſt, qui ut ovis ad occiſionem, tibíque ad mortem obediens factus, genus atrociſſimæ necis, ſubire non renuit.

Recole totius ſalutis diſpenſatorem, quia hic ipſe eſt, quem etſi ex una virtute genuiſti, noſtræ tamen infirmitatis, participem fieri voluiſti; vera hæc eſt tua Deitas, quæ noſtram induit naturam, crucis aſcendit patibulum, quæ in aſſumpta carne, triſte tulit ſupplicium.

Reduc Domine Deus meus oculos tuæ

Ma-

Majeſtatis ſuper opus pietatis ineffabilis; intuere dulcem natum, toto corpore extenſum, cerne manus innoxias, promanantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera, quæ patrârunt manus noſtræ. Conſidera inerme latus, crudeli perfoſſum cuſpide, & renova nos, ſacro fonte pretioſiſſimi ſanguinis ejus. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in peccatorum via, ſed ſemper ambulaverunt in lege tua, clavis adeò diris confixa: ſic perfice greſſus noſtros in ſemitis tuis, ut ab iis non moveantur veſtigia noſtra. Quæſumus igitur ô Rex ſanctorũ, per tuum dilectũ omnium electorum per hunc piiſſimum Redemptorem noſtrum, fac nos ita currere viam mandatorum tuorum: ut eidem uniamur, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Reſpice Domine ſancte Pater de ſanctuario, & de excelſo cœlorum habitaculo; Ecce vox ſanguinis Fratris noſtri JESU

clamat ad te de cruce; respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi, usque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus, in perpetuum, ut memineris; quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem, receperis. Gratias tibi æterne Pater referat omnis lingua, pro superabundantia bonitatis tuæ, qui unico Filio cordis tui, non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum tradidisti in mortem, ut eum tanquam fidelem advocatum, coram te in cœlis haberemus. Amen.

Scrutator cordium Deus, miserere peccatricis animæ meæ, ejúsque clementer, & vincula solve, & vulnera sana, da cordi meo contritionem, & lachrymarum fontem oculis meis, ut cum humilitate, & puritate cordis, omnes iniquitates, & negligentias meas dignè defleam, fructúque sacra-

ſacratiſſimæ paſſionis Chriſti, reviviſcat anima mea, in vitam æternam. Amen.

Sanguine tuo Chriſte JESU à peccatis omnibus lava me, & concede ut anima mea, cùm è corpore migraverit, ante tribunal tuum appareat munda, O bone JEsu! ne deſeras me in ultimis anguſtiis, in ſuprema mortis lucta, à qua, tota pendet æternitas. O mi Redemptor! in manus tuas, ſpiritum meum jam etiam commendo, tua, ô mi Deus ſanctiſſima voluntas, in me ſemper fiat, & in æternum.

O mi Deus, qui ſubire pro me voluiſti diræ crucis ignominiam. Qui pro meis te peccatis, in hac Ara pietatis, dederas in hoſtiam. En ſupplex coram te cado, & me totum tibi trado, ac in ſervum conſecro. Scio quidem me rebellem, ſed corrigere me vellē, eja juves obſecro. Non ſinas, ut tot labores, tantus ſanguis, tot dolores, in me tui pereant.

Sed quod hactenùs peccavi, ſputa, flaggra, ſpina, clavi, & crux tua deleant. Tua mors, det mihi vitam, vulnera dent innfinitam, cum beatis gloriam. Amen.

Ego miſer peccator animam meam
Creatori, &c.
Clementiſſime, infinitæ miſericordiæ
DEUS, &c.

Non ergo deſpicias me Domine, néque attendas multitudinem peccatorum meorum: ſed ſecundùm multitudinem miſerrationum tuarum miſerere mei, & propitius eſto mihi, maximo peccatori. Dic animæ meæ; ſalus tua ego ſum, qui dixiſti: nolo mortem peccatoris, ſed magìs, ut convertatur, & vivat; converte me Domine ad te, & noli iraſci contra me, deprecor te clementiſſime Pater, propter miſericordiam tuam, ſupplico, & exoro, ut perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & di-

& dignam ſatisfactionem, omnimum peccatorum meorum. Amen.

Domine Jeſu, noverim me, noverim te, nec aliquid cupiam nisì te, oderim me, & amem te, omnia agam propter te, humiliem me, exaltem te, nihil cogitem nisì te, mortificem me, & vivam in te, quæcunque eveniant accipiam à te, perſequar me, ſequar te, ſempérque optem ſequi te, fugiam me, confugiam ad te, ut merear defendi à te, timeam mihi, timeam te, & ſim inter electos à te, diffidam mihi, fidam in te, obedire velim propter te, ad nihil afficiar, nisì ad te, & pauper ſim propter te, aſpice me, ut diligam te, voca me, ut videam te, & in æternum fruar te. Am.

Erga Chriſtum crucifixum, & quinque ejus vulnera, Oratio præparatoria.

EN amantiſſime Jeſu, qui ſponſus ſanguinum mihi eſſe voluiſti, ad pedes tuos proſternor, ut meum in te amorem,

debitámque gratitudinem contester; sed quid rependam tibi mi Jesu qui usque in finem dilexisti me, manibúsque ac pedibus, imò & cordi tuo inscripsisti me, magno sanè, & conspicuo charactere, quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ita & ego te, cordi meo inscriptum circumferam, & sicut mei memoria tibi, sic tui mihi nunquam excidat? ô Jesu quàm profuso me charitatis affectu complexus es, qui non tantùm manus, ac pedes; verùm, & opulentissimum pectus mihi aperiri voluisti, ut in exhaustâ bonorum cœlestinm affluentiâ, desiderium meum expleas! suscipe hæc mea, quæ colendis tuis sacris quinque vulneribus, vota persolvo; aditum spero, ad optatissimos hos vitæ fontes, misero non intercludes.

Salve ô benedictum vulnus *Sinistri pedis* tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans: ut hujus tui

tui ſacratiſſimi vulneris merito, evellas pedes meos à laqueo, quem ſtatuerunt mihi inimici mei, & à lapſu animam meam præſerves, non veniat mihi pes ſuperbiæ, nec ambulem in mirabilibus ſuper me, ſed in animo contrito, & ſpiritu humilitatis, à te ſuſcipiar.

Ad ſacrum hoc vulnus tuum depono, & offero omnem afflictionem meam, ut hanc cum cruce, & paſſione tua conjungas, gratiámque largiaris, quâ omnes adverſitates, & miſerias amore tui ſuperem, tuæque me ſemper voluntati conformem. Amen. *Pater noſter.* &c.

Salve ô benedictum vulnus, *dexteri pedis* tui, mi Jeſu, quod in ſpiritu reverenter exoſculor, te ex animo rogans: ut hujus tui ſacratiſſimi vulneris merito, dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut tranſeam de virtu-

te,in virtutem,donec videam te Deum,ac Dominum meum in Sion.

Ad hoc ſacrum vulnus tuum depono, & offero omnem fortunam, ac felices ſucceſſus meos, quos mihi divinæ providentiæ tuæ diſpoſitio, clementer indulſit; ne illorum inſolentiâ elatus animus, te ſummum bonum meum ad iram unquam provocet. Amen. *Pater noſter, &c.*

Salve ô benedictum vulnus *Siniſtræ manûs* tuæ mi Jeſu, quod in ſpiritu reverenter exoſculor, te ex animo rogans: ut hujus tui ſacratiſſimi vulneris merito, miſerearis fragilitatis, & inconſtantiæ meæ, & in omni bono propoſito me confirmes, illum tantúmque inſuper mihi amorem præſtes, ut dicere queam: læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Ad ſacrum hoc vulnus tuum depono om-



passIo DoMInI nostrI IesV ChrIstI Coronat.

INſpice vulnera pendentis; ſanguinem morientis; pretium redimentis; caput habet inclinatum ad oſculandum; cor apertum ad diligendum; brachia extenſa ad amplectendum; totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogita: Hæc in ſtatera cordis appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in cruce.

Ad Sanctum Vulnus Manûs Dexteræ.

SAlve ô benedictum Vulnus dexteræ Manus tuæ mi Jesu, quod in Spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui Sacratissimi vulneris merito, uberem mihi gratiam & opem contra hostium meorum visibilium & invisibilium conatus largiaris, & in novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi lætus audiam: Venite Benedicti.

Ad Sacrum hoc vulnus tuum, depono, & offero tibi omnia, quæ conatus sum facere bona opera mea, imò tua, quia tuæ Gratiæ omnia, ut debeo, adscribo: cum humillima obsecratione, ut ea tuis Sanctissimis operibus unita, æterno Patri offerre, meámque inopiam tuis infinitis meritis supplere digneris, Amen.

omnia peccata mea, quæ aut ignorans, aut ſciens, volens, unquam commiſi. Tu mi Jeſu pretioſiſſimo tuo ſanguine, illa abluere digneris, ne coram juſtiſſimo tribunali tuo, æternæ damnationis ſententiam coram me expoſcant. Amen. *Pater noſter, &c.*

Salve ô benedictum vulnus *Lateris* tui, mi Jeſu, ſalve ô fons amoris, ô theſaure inæſtimabilis, ô requies animæ meæ, ausímne benigniſſime JESU, ad ſacram hanc aram, ad hoc ſanctum ſanctorum accedere, ardénsque amore cor tuum deoſculari? per infinitam bonitatem oro te, mi JESU, ne hoc ſolatio me privare, nec ab hac unici refugii mei domo, arcere velis; Eja anima mea, accurre cum fiducia, ad thalamum ſuaviſſimi ſponſi tui, hìc te omnibus moleſtiis tuis, ac curis, quibus opprimeris exonera: hìc deſideria tua, & cupiditates exple, hìc in optatiſſima pa-

pace conquieſce; Videor mihi ô JESU amore tuo duce, per amabiliſſimum ſacri lateris tui vulnus, ad cor tuum intromitti. Hìc te cum profundiſſima humilitate ô JESU oro, ut ignoſcas, quidquid unquam corde, ore, aut opere in te peccavi, hoc ſacro ſanguinis tui balneo munda cor meum, & benedicti cordis tui formam, ac ſpeciem imprime, tuíque amoris igne accende, ne quicquam impoſterum præter te amem, aut deſiderem.

Ad ſacratiſſimum hoc cordis tui vulnus mi JESU, omnia cordis mei vota, ac deſideria pono, ita oro, cor meum cordi tuo adſtringe, ut nullo unquam tempore, ab invicem avellantur, ut verè cum Apoſtolo exclamem: quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an aguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia,

ne-

neque futura, neque ulla creatura, poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU, Domino noſtro. Amen. *Pater noſter.* &c.

Salve vulnus gratioſum, Chriſti fluens ſanguine, mihi da cor fructuoſum, vacans omni crimine: ſimplex, humile, zeloſum; imo gaudens ordine. *Pater. Ave* &c.

Salve ſtillans pedis vena, hominum ſolatio; per te fiat in me plena, carnis caſtigatio: caſto tibi mens ſerena; jungat ſe conſortio. *Pater noſter: Ave Maria.*

Salve rubens cruore, Jeſu plaga dexteræ; ô fac tuo cum fervore, juſſa quæram properè: geram corde, promam ore, præſtem promptus opere. *Pater noſter: Ave Maria.*

Salve lævæ vulnus Chriſti, ſanguine purpureum; fac me quovis caſu triſti, mitem,

tem, & pacificum: cunctis, quos tu redimisti lenem, ac benevolum. *Pater noster: Ave Maria.*

Salve scissum cum tremore, JESU cor dulcissimum; nobis patens ex amore, præsta cordis gaudium: det virtutum cum splendore, charitas incendium. *Pater noster: Ave Maria.*

Obsecro te Domine JESU Christe, ut passio tua sit virtus nostra, quâ muniamur, protegamur, & defendamur; vulnera tua sint nobis cibus, & potus, quibus inebriemur, & delectemur. Aspersio sanguinis tui, sit omnium peccatorũ nostrorum ablutio: mors tua sit nobis refectio, exultatio, sanitas, studium, gaudium, & desiderium mentis, & corporis, nunc & in perpetuum. Amen.

Ave JESU qui mactaris, sed tortorum deprecaris, Patrem culpæ parcere, prom-

promptè fac nos indulgere, nec vindi-ctam exercere, corde, verbis, opere. Ave Jesu qui latroni, pœnitenti, ſummi boni, promiſiſti gratiam, tali nos contri-tione, nunc, & mortis in agone, fac mere-ri gratiam. Ave Jesu, qui præſentem cruci Matrem, heu dolentem, commen-das diſcipulo, pari nos tuere curâ, per te conſtet mens ſecura, quovis in periculo. Ave Jesu, qui dixiſti, Pater quid me reli-quiſti, tantis in ſuppliciis? ne nos linquas ut ruamus, ſemper tecum perſiſtamus, fortes in anguſtiis; Ave Jesu, qui teſta-ris, ſitim: felle ſed potaris, tu qui paſcis omnia, fac æterna nos ſitire, mundi carnis faſtidire, fugitiva prœmia. Ave Jeſu, conſummâſti, juſſa Patris, & donâſti, tua nobis merita, bene fac nos inchorare, ſed & plenè conſummare, tua beneplacita. Ave Jeſu, qui ſermonem, morte clau-dens, & agonem Patri tradis animam,

 ô mors

ô mors tua nos emundet, vitam bonis fac fœcundet, mortem det tutiſſimam.

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia,
Sed ſuper mel, & omnia,
Ejus dulcis præſentia.

Nîl canitur ſuavius,
Auditur nîl jucundius,
Nîl cogitatur dulcius,
Quàm Ieſus Dei Filius.

JESU ſpes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quàm bonus te quærentibꝰ,
Sed quid invenientibus?

JESU dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne deſiderium.

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,

Ex-

Expertus poteſt credere
Quid ſit Jeſum diligere.
Jeſum quæram in lectulo,
Clauſo cordis cubiculo,
Privatim, & in publico,
Quæram amore ſedulo.
Cum Maria diluculo,
Ieſum quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo.
Mente quæram non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus,
Ieſu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
IESU Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,

Pulsâ mentis caligine,
Mundum replens dulcedine
Quando cor noſtrum viſitas.
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Amor IESU dulciſſimus,
Et verè ſuaviſſimus,
Plus millies gratiſſimus,
Quàm dicere ſufficimus.
Hoc probat ejus paſſio,
Hoc ſanguinis effuſio,
Per quam nobis redemptio,
Datur, & DEI viſio.
Ieſum omnes agnoſcite,
Amorem ejus poſcite,
Ieſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,

In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
IESUS author clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ,
Dulcoris fons, & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
IESU mi bone ſentiam,
Amoris tui copiam,
Da mihi per præſentiam,
Tuam videre gloriam.
Cùm dignè loqui nequeam,
De te tamen ne ſileam,
Amor facit, ut audeam,
Cùm de te ſolùm gaudeam.
Tua Ieſu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens ſinè faſtidio,
Dans famem deſiderio.
Qui te guſtant eſuriunt,
Qui bibunt, adhuc ſitiunt,

Desiderare nesciunt,
  Nisì Iesum, quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
  Novit, quid Iesus sapiat,
  Quàm felix est, quem satiat,
  Non est ultra, quod cupiat.
Iesu decus Angelicum,
  In aure dulce canticum,
  In ore mel mirificum,
  In corde nectar cœlicum.
Desidero te millies,
  Mi Iesu quando venies?
  Me lætum quando facies?
  Me de te quando saties?
Amor tuus continuus,
  Mihi languor assiduus,
  Mihi fructus mellifluus,
  Est, & vitæ perpetuus.
Iesu, summa benignitas,
  Mira cordis jucunditas,

In-

Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
Bonum mihi diligere,
Iesum, nîl ultra quærere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.
O Iesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ;
Te quærunt piæ lachrymæ,
Et clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum Iesum desidero,
Quàm lætus, cùm invenero.
Quàm felix, cùm tenuero.
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula,
Tunc felix Christi copula,
Sed in his parva morula.
Jam quod quæsivi, video,
Quod concupivi, teneo,

Amo-

Amore Iesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Iesus cùm sic diligitur,
Hic amor non extinguitur,
Non tepescit, nec moritur,
Plùs crescit, & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
Hic amor missus cœlitùs,
Hæret mihi medullitùs,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur Spiritus.
O beatum incendium!
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium.
Iesu flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,

Tibi

Tibi laus, honor Numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime,
Pater immensæ gloriæ,
Affulge menti clariùs,
Jam expectatus sæpius.
Iesu sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.
Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
Iesu mea salvatio.
Dilecte mi revertere,
Consors paternæ dexteræ,

Hostem vicisti prosperè,
Jam Cœli Regno fruere.
Sequar te quoquo ieris.
Mihi tolli non poteris,
Cùm meum cor abstuleris,
Iesu laus nostri generis.
Cæli Cives occurrite,
Portas vestras attollite,
Triumphatori dicite,
Ave Iesu Rex inclyte.
Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
Iesu largitor veniæ,
Honor cœlestis patriæ.
Tu fons misericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.
Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat,

Iesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Iesus in pace imperat,
Qui omnem sensum superat,
Hanc mea mens desiderat,
Et eâ frui properat.
Iesus ad Patrem rediit,
Cœleste Regnum subiit,
Cor meum à me transiit,
Post Iesum simul abiit.
Quem prosequemur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus,
Ut nos donet cœlestibus,
Secum perfrui sedibus.

O Mi JESU vulnerate,
Ligno Crucis acclavate,
Tradidisti Animam.
Puro quidem ex amore,
Pro me magno peccatore,
Ah! cur te non diligam?

Te mi IESU, non dimittam,
Nec peccatis plus offendam
Cordis mei gaudium.

Sed amorem cum amore,
Et dolorem cum dolore,
Jungam in ſolatium.

Plagas, cruces, patienter,
Ut ſupportem has libenter,
Adſit tua gratia.

Des, ut adhuc pro peccatis,
Luam in hoc Mundo ſatis,
Tua cum Clementia.

Ah! haberem mille vitas,
Ob amorem darem iſtas,
Rogo tamen unicum.

Dum jacebo in agone,
Recordare IESU bone,
Non me damnes miſerum.

SAlve Iesu, Iesu pie, Fili Dei, & Mariæ, quem de Patre, sinè Matre, & de Matre, sinè Patre natum credo firmiter. Sana me, & sanus ero, & sanabis hìc ut spero, sic in cœlo te videre, cum beatis possidere, gaudeam perenniter, Amen.

Ad beatam Virginem Mariam.

AUdi gemitus, & dolores ultimos servuli tui, dulcissima Virgo Maria, fons vitæ, & veniæ, salus omnium in te sperantium, audi, & intercede, ut à ministris satanæ liberatus, cum Christi fidelibus, Filii tui servis, & amicis, in regione vivorum collocer.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

Mater sanctæ spei ô Maria! in manibus tuis sortes meæ, adjuva me, tibi me totum,

tum, & judicium pauperculæ animæ meæ committo.

Suspiria ad Christum crucifixum.

AD te converto me Redemptor; convertere, & tu ad me, ô spes mea unica, Jesu crucifixe. Ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. Respice innocentes manus, quæ distillant pretiosum sanguinem, ut dimittas iniquitatem meam, & ne requiras opera manuum mearum. Intuere illud lanceâ perfossum pectus, & amore mei apertum cor, huc include peccatricem animam meam. Per sacros illos pedes, duris clavis perforatos, dirige gressus meos, ut non recedant hâc horâ à semita lucis, & veritatis; respice in faciem Christi tui, ô Pater misericordiarum, & copiosa redemptio, meorum cooperiat multitudinem peccatorum. Per supremos animæ, &

cor-

corporis angores, & tormentum crucis, Iesu Iesu Iesu excipe animam meam. Non intres in judicium cum servo tuo mi Iesu. Ne memineris bone Iesu iniquitatum mearum. Citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis. Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, pone passionem crucem, & mortem tuam, inter judicium tuum, & animam meam. Jube me adscribi in numerum electorum tuorum, dulcis Iesu! junge patientissime Iesu dolores meos, doloribus tuis, mortem meam morti tuæ.

Succurre Mater misericordiæ, subvenite beatissimi Spiritus, sancti Angeli Dei, & vos omnes Patroni mei N. N. ut cùm in extremis vestram opem ampliùs implorare non potero, me tamen non deseratis.

Te verò dulcissime Iesu pro me crucifixe, inter amorosa tua bracchia, suscipe

me

me inter deliciosos tuos, & desideratissimos amplexus, & attrahe tibi dulciter, animam meam. Suscipe me bone Iesum in misericordia tua! suscipe in pace per dolores tuos spiritum meum! ideò enim vulnus lateris tui patens est apertum, ut me vel serò venientem suscipias, ideò ma, nus tuæ, mei causâ conclavatæ fuerunt, ut securam mihi, & certam facerent salutem. In istas ergo manus Domine comendo spiritum meum, nunc & in æternum. Amen.

LITANIÆ,

Vitæ, & passionis Domini nostri JESU Christi.

HUmiliavit semetipsum Dominus noster Iesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen

men, ut in nomine Ieſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus. Miſerere nobis
Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere nobis.

Ieſu Verbum Patris.
Ieſu ſplendor paternæ gloriæ.
Ieſu figura ſubſtantiæ Patris.
Ieſu ſapientia æterna.
Ieſu candor lucis æternæ.
Ieſu ſpeculum ſinè macula.
Ieſu per quem facta ſunt omnia.
} Miſerere nobis.

Iesu verbo virtutis tuæ omnia patrans.
Iesu magni consilii Angelus.
Iesu Princeps pacis.
Iesu sanctis Patribus promissus.
Iesu cunctis gentibus desideratus.
Iesu in mundum à Patre missus.
Iesu de Spiritu S. conceptus.
Iesu Verbum caro factum.
Iesu nobiscum Deus.
Iesu in formam servi factus.
Iesu de Maria Virgine natus.
Iesu à tua Genitrice adoratus.
Iesu pannis involutus.
Iesu in præsepio reclinatus.
Iesu ubere Virgineo lactatus.
Iesu à pastoribus in præsepio cognitus.
Iesu percircumcisionem sub lege factus.
Iesu à Magis adoratus.
Iesu in templo præsentatus.
Iesu in ulnis justi Simeonis exceptus.
Iesu in Ægyptum delatus.

Miserere nobis.

Iesu ab Herode ad necem quæsitus.
Iesu in Nazareth nutritus.
Iesu in templo inventus.
Iesu Parentibus subditus.
Iesu à Joanne baptizatus.
Iesu in deserto tentatus.
Iesu cum hominibus conversatus.
Iesu pauperibus discipulis sociatus.
Iesu lux mundi.
Iesu doctor justitiæ.
Iesu Via, Veritas, & Vita.
Iesu exemplar Virtutum omnium.
Iesu omnibus languentibus misericorditer opitulatus.
Iesu à tuis furiosus reputatus.
Iesu gratìs odio habitus.
Iesu contumeliis vexatus.
Iesu lapidibus impetitus.
Iesu in monte coram Patribus transfiguratus.
Iesu Rex mitis Jerusalem ingressus.

Miserere nobis.

Iesu præ compassione lachrymatus.
Iesu triginta argenteis appretiatus.
Iesu ad Discipulorum pedes inclinatus.
Iesu Panis vivus nos confirmans.
Iesu potus verus nos lætificans.
Iesu in oratione prostratus.
Iesu in agonia sanguineo sudore perfusus.
Iesu ab Angelo confortatus.
Iesu osculo à Juda traditus.
Iesu à ministris ligatus.
Iesu à discipulis derelictus.
Iesu Annæ & Caiphæ præsentatus.
Iesu alapâ à ministro percussus.
Iesu à falsis testibus accusatus.
Iesu reus mortis judicatus.
Iesu in faciem consputus.
Iesu oculis velatus.
Iesu colaphis cæsus.
Iesu cujus corpus percutientibus, & genæ vellentibus datæ.

Miserere nobis.

Iesu à Petro ter negatus.
Iesu vinctus à Pilato traditus.
Iesu ab Herode, & ejus exercitu spretus, & illusus.
Ie veste albâ indutus.
Iesu Barabbæ postpositus.
Iesu flagellis cæsus.
Iesu propter scelera attritus.
Iesu quasi leprosus reputatus.
Iesu veste purpureâ indutus.
Iesu spinis coronatus.
Iesu arundine percussus.
Iesu à Judæis ad crucem postulatus.
Iesu morte turpissimâ condemnatus.
Iesu voluntati judæorum traditus.
Iesu crucis pondere gravatus.
Iesu tanquam ovis ad occisionem ductus.
Iesu vestibus exutus.
Iesu clavis in cruce confixus.
Iesu propter iniquitates nostras vulneratus.

Miserere nobis.

Iesu pro inimicis Patrem deprecatus.
Iesu cum iniquis reputatus.
Iesu opprobrium hominum factus.
Iesu à prætereuntibus blasphematus.
Iesu à judæis derisus.
Iesu à militibus in cruce illusus.
Iesu à latrone convitiis lacessitus.
Iesu opprobriis saturatus.
Iesu latroni pœnitenti paradisum pollicitus.
Iesu qui Joannem Matri tuæ, in filium tradidisti.
Iesu te à Patre derelictum attestatus.
Iesu felle & aceto in siti potatus.
Iesu consummata omnia de te scripta, testatus.
Iesu cujus Spiritus in manus Patris commendatus.
Iesu à Patre pro tua reverentia semper exauditus.

} Miserere nobis.

Iesu usque ad montem crucis obediens factus.
Iesu lanceâ transfixus.
Iesu de cujus latere exivit sanguis, & aqua.
Iesu cujus livore sanati sumus.
Iesu propitiatio nobis factus.
Iesu de cruce depositus.
Iesu in sindone munda involutus.
Iesu in monumento novo tumulatus.
Iesu vinctos tuos de lacu inferi prædatus.
Iesu ab inferis victor reversus.
Iesu post resurrectionem cum hominibus conversatus.
Iesu in cœlum elevatus.
Iesu in Patris dextera collocatus.
Iesu gloriâ & honore coronatus.
Iesu Rex Regum, & Dominus dominantium.
Iesu noster apud Patrem advocatus.

Miserere nobis.

Iesu Spiritum paraclitum discipulis elargitus.
Iesu Matrem tuam super choros Angelorum exaltans.
Iesu vivos, & mortuos judicaturus.
Iesu reprobos in ignem æternum missurus.
Iesu paratum electis regnum collaturus.
Iesu ubertate domûs tuæ sanctos omnes inebrians.
Iesu Pater futuri sæculi.
Iesu jubilus Angelorum.
Iesu Rex Patriarcharum.
Iesu inspirator Prophetarum.
Iesu Magister Apostolorum.
Iesu Doctor Evangelistarum.
Iesu fortitudo Martyrum.
Iesu lumen Confessorum.
Iesu puritas Virginum.
Iesu corona sanctorum omnium.

Miserere nobis.

Pro-

Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.

Ab omni malo.
Ab omni peccato.
Ab ira tua.
à Subitanea est improvisa morte.
Ab insidiis diaboli.
à Peste, fame, & bello.
Ab ira, odio, & omni mala voluntate.
à Spiritu fornicationis.
à Fulgure, & tempestate.
à Morte perpetua.
Per mysteriũ sanctæ incarnationis tuæ.
Per adventum tuum.
Per nativitatem tuam.
Per circumcisionem tuam.
Per impositionem SSmi. nominis tui.
Per baptismum, est sanctum jejunium tuum.
Per labores, & vigilias tuas.

} Libera nos Jesu.

Per agoniam, & ſanguineum ſudorem tuum.
Per alapas, & flagella tua
Per ſpineam coronam tuam.
Per crucem, & paſſionem tuam.
Per ſitim, lachrymas, & nuditatẽ tuam.
Per mortem, & ſepulturam tuam.
Per S. reſurrectionem tuam.
Per admirabilem aſcenſionem tuam.
Per miſſionem Spiritûs S. paracliti.
In die Judicii.

} Libera nos Jeſu.

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.
Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere, & conſervare digneris.
Ut domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conſervare digneris.
Ut nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare, & conſervare digneris.

} Te rogamus audi nos.

Ut

Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas. Te rogamus audi nos.

Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias. Te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus audi nos.

Fili DEI. Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

Oremus.

PErpetuâ nos quæſumus Domine pace cuſtodi, quos per lignum ſanctæ Crucis redimere dignatus es; per Chriſtum Dominum noſtrum.

Domine Ieſu Chriſte, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Orationes ante confeſſionem.

SUrgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, verumtamen fac me ſicut unum de pœnitentibus tuis, & mitte mihi hodie unicam ſolummodo micam de menſa infinitæ miſericordiæ tuæ, ut peccata mea cognoſcere, deflere, & dignam de iis pœnitentiam agere poſſim; rogo igitur clementiſſime Deus, per ipſum æternum judi-

judicem, da mihi cordis contritionem, & lachrymarum fontem ut vulnera animæ meæ indesinenter diebus, ac noctibus, de fleam, donec tempus est acceptabile, & donec dies sunt salutis, nec delicta mea innumerabilia, quæ nunc celata sunt, & occulta, in die illo tremendi examinis, appareant coram spectantibus Angelis, & Archangelis, Prophetis, & Apostolis, sanctis, & omnibus justis. Quin potiùs miserere mei Domine, miserere mei, neque me perdas cum peccatis meis, tu qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Miserere mei Domive, & ne reserva mala mea punienda illâ futurâ vitâ, in illis infernalibus suppliciis, sed in præsenti vita detege, & puni ea quo modo, & quantum tibi placet, ecce in manu tua sum: fac de me quod tibi videtur: fac me pro pietate, & bonitate tua plenè, & perfectè, antequam moriar,

 pœni-

pœnitere, & plangere omnia peccata mea, quæcunque egi contra voluntatem tuam à puero, & cunabulis meis, corde, ore, opere, & excoque ſcoriam peccatorum ad purum, modis quibus tibi videtur, ordine quo tibi placet, ſcis omnia, potes omnia; ut in hora illa tremenda, inveniam miſericordiam in conſpectu æterni judicis, & videam faciem illius cum multa lætitia, & ſecuritate, collocatus ad dexteram cum ſanctis omnibus, propter tuam multam miſericordiam, & bonitatem.

Suſcipe confeſſionem meam piiſſime ac clementiſſime Domine, Jeſu Chriſte, unica ſpes ſalutis meæ, & da mihi obſecro contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas, cum humilitate, & puritate cordis, appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine; ſi iratus fueris contra me, quem adjutorem quæ-

ram?

ram? quis miſerebitur iniquitatibus meis? memento mei Domine, qui Cananæam, & Publicanum vocâſti ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantem ſuſcepiſti, Domine Deus meus ſuſcipe preces meas, ſalvator mundi Ieſu bone, qui te crucis morti dediſti, ut peccatores ſalvos faceres, reſpice me miſerum peccatorem, invocantem nomen tuum; & ſi commiſi unde me damnare potes, tu non amiſiſti, unde ſalvare ſoles. Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, & miſerere peccatrici animæ meæ, ſolve vincula ejus, ſana vulnera. Domine Ieſu te deſidero, & quæro, te volo, oſtende mihi faciem tuam, & ſalvus ero: emitte igitur piiſſime Domine, meritis puriſſimæ, & immaculatæ ſemper Virginis. genitricis tuæ Mariæ, & ſanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus in veritate mihi oſtendat, quos confiteri

fiteri me oportet, atque juvet, & doceat ipſos plenè, & contrito corde explicare, Qui vivis, & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Actus contritionis.

O Amabiliſſime Ieſu, amor meus crucifixe, amo te, ſuper omnia toto corde, ob infinitam bonitatem, omnésque divinas perfectiones tuas, & ſi poſſem omnium Angelorum, & Sanctorum amore, te amarem; nam omni poſſibili amore es digniſſimus.

Et quia ſic te amo, pœnitet me, & toto mentis affectu doleo: quòd ego viliſſima creatura tua, contra te optimum Deum meum, cui omne peccatum ſummè diſplicet, unquam peccaverim; ô ſi te non offendiſſem, ô ſi non egiſſem id, quod ſanctiſſimæ voluntati tuæ, & amori ſic contrarium eſt.

Revo-

Revoco, retracto, detestor, & quantum possum annihilo, quidquid feci, cogitatione, verbo, opere, & omissione contra te, cupióq; ac desidero, totâ animâ meâ, me id non fecisse.

Heu! pœnitet me iterum, ac iterum, & millies, pœnitebítque totâ vitâ meâ, & quamvis nulla pœna, aut infernus esset, nullum cœlum, tua tamen amabilissima bonitas, à me hei mihi! sufficit offensa, ut mihi cor dolore disrumpatur, & oculi flumina, ac Maria lachrymarum profundant.

Propono firmissimè cum gratia tua. sanctissimæ tuæ legi posthac in omnibus obedire, peccatum quodvis super omne aliud malum, vitare, integrè confiteri, pœnitentiam injunctam explere, proximo meo, si quid debeo, satisfacere, offendendi te occasiones, quantum possum fugere;

 Con-

Condono omnibus omnes injurias, & offenſas mihi factas, ſicut meas à te mihi peto condonari.

Offero tibi vitam, & actiones meas bonas, cum gratia tua à me faciendas, & omnes afflictiones (quas juſte peccatis meis mereor) à me ſuſtinendas, in aliquam compenſationem, tot offenſarum, & injuriarum à me tibi illatarum.

Inſuper offero tibi, intenſiſſimos compunctionis, contritionis, & deteſtationis affectus, quos unquam verè pœnitentes, & ſua, vel aliena peccata deflentes, elicuerunt, & deinceps elicient, quos omnes ſi ego ſolus poſſem, & ſi tibi placet eos mihi dare, & alios omnes poſſibiles, elicere deſidero. Offero inquam hæc omnia, in unione lachrymarum tuarum, quibus ô amantiſſime Ieſu noſtra delicta deflevisti, laborem item, & cruciatum, quibus eadem

dem expiâſti, & omnium meritorum tuorum, per quæ ſpero veniam peccatorum, & uberem gratiam, à miſericordiſſimis viſceribus tuis, ut me emendem, & piam, ac bonam vitam inſtituam, Amen.

Affectus amantis animæ.

O Deus! ego amo te, nec amo te, ut ſalves me, aut quia non amantes te, æterno punis igne, tu tu mi Ieſu totum me, amplexus es in cruce, tuliſti clavos lanceam, multámque ignominiam, innumeros dolores, ſudores, & angores, ac mortem, & hæc propter me: ac pro me peccatore, cur igitur non amem te, ô Ieſu amantiſſime! non ut in cœlo ſalves me; aut nè æternum damnes me, nec præmii illius ſpe: ſed ſicut tu amâſti me, ſic amo, & amabo te, ſolùm quia Rex meus es, & ſolùm quia Deus es. Amen.

Eja Ieſu reſpice afflictam Matrem tuam;

am; eja Maria respice cruentum filium tuum; eja Iesu propter dilectam Matrem tuam; eja Maria propter benedictum Filium tuum, miseremini mei; eja Iesu tam bonus, & obediens Filius Mariæ; eja Maria tam amabilis, & bona Mater Iesu, vos estis causa salutis meæ, non est opus alibi me opem petere, eja Iesu non jam est necessum fundere sanguinem; eja Maria non est necessum fundere lachrymas! ô juste Judex! ad quem ibo, nisi ad advocatam piissimam, & mundi reconciliatricem? si illa me deserat, quomodo Judex absolvet? ô Mater salutis, pro quo intercedes, nisì quem ipse redemit? ô Mater misericordiæ, quem respicies, nisì miserum, & miserabilem, sin minùs dic mihi, num sit aliud mihi refugium? num sit aliquis magis misericors? aut qui plus me amet, aut apud Deum sit potentior? si nemo est, uti credo, ô Mater quid potes obten-

tendere? an modicam fidem meam, an affectum exiguum? an graviſſima peccata mea? illud ipſum eſt, quod peto in maximum teſtimonium miſericordiæ tuæ, ut exaudias me indignum, ut ſalves damnandum, ut protegas deſerendum, ut qui debebam, & merebar eſſe filius iræ, per multam, & magnam nimis bonitatem tuam, ſim filius miſericordiæ, ſim frater Filii tui, ſim tecum, & cum Filio tuo, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pro remiſſione peccatorum.

CONDITOR cœli, & terræ, Rex Regum, & Dominus dominantium, qui me de nihilo feciſti, ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, & me proprio tuo ſanguine redemiſti, quem ego peccator non ſum dignus nominare, nec invocare, nec corde cogitare; te ſuppliciter deprecor, & humiliter exoro, ut clementer reſpicias

me ſervum tuum nequam : & miſerere mei, qui miſertus fuiſti mulieri Cananææ, & Mariæ Magdalenæ, qui peperciſti Publicano, & latroni in cruce pendenti; tibi confiteor Pater piiſſime, peccata mea, quæ ſi volo abſcondere, non poſſum, tibi Domine; parce mihi Chriſte, quem ego nuper multum offendi cogitando, loquendo; operando: & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo, & peccator peccare potui : mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò Domine precor tuam clementiam, qui de cœlo, pro mea ſalute deſcendiſti; qui David à peccati lapſu erexiſti, parce mihi Domine! parce mihi Chriſte! qui Petro te neganti peperciſti, tu es Creator meus, & Redemptor meus, Dominus meus, & Salvator meus, Rex meus, & Deus meus; tu es ſpes mea, & fiducia mea, gubernatio mea, & auxiliatio mea, conſolatio mea, & fortitu-

titudo mea, defensio mea, & liberatio mea, vita mea, salus mea, & resurrectio mea, lumen meum, & desiderium meum, adjutorium meum, & patrocinium meum; te deprecor, & rogo adjuva me, & salvus ero, guberna me, & defende me, conforta me, & consolare me, confirma me, & lætifica me, illumina me, & visita me, suscita me mortuum, quia factura, & opus tuum sum. Domine ne despicias me, quia famulus, & servus tuus sum, quamvis malus, quamvis indignus, & peccator; sed qualiscunque sim, sive bonus, sive malus, semper tuus sum, ad quem ergo fugiam, nisì ad te vadam? si tu me ejicis, quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet? recognosce me ergo indignum, ad te refugientem, quamvis sim vilis, & immundus, quia si vilis, & immundus sum, potes me mundare; si cæcus sum potes me illuminare; si infirmus sum,

ſum, potes me ſanare, ſi mortuus, & ſepultus ſum, potes me reſuſcitare; quia major eſt miſericordia tua, quàm impietas mea, plus potes dimittere, & plus parcere, quàm ego peccator peccare. Non ergo deſpicias Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum, ſed ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, miſerere mei, & propitius eſto mihi, maximo peccatori, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum, qui dixiſti, nolo mortem peccatoris, ſed magìs, ut convertatur, & vivat. Converte me Domine ad te, & noli iraſci contra me, deprecor te clementiſſime Pater, propter miſericordiam tuam ſupplico, & exoro, ut perducas me, ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & dignam ſatisfactionem, omnium peccatorum meorum.

Scur-

Scrutator cordium Deus, miſerere nunc peccatricis animæ meæ, ejúsque clementer, & vincula ſolve, & vulnera ſana; da cordi meo contritionem, & lachrymarum fontem oculis meis, ut cum humilitate, & puritate cordis, omnes iniquitates, & negligentias meas dignè defleam, & integrè aperiam, fructúque ſacratiſſimæ paſſionis Chriſti, reviviſcat anima mea in vitam æternam. Amen.

O miſericordiſſime Deus! gratiâ tuæ viſitationis, mentis meæ tenebras illumines, affectum voluntatis inflammes, & corrobores, ad cognoſcendum quidquid cogitatione, & affectu, verbis prolatis, & auditis, operibus, & omiſſionibus contra te, proximum, & memetipſum peccavi.

Scrutator cordium Deus, qui conſiderâſti ſemitas meas, & omnes greſſus meos dinumerâſti, quid tibi hodiè (vel

diebus præteritis) pro infinitis bonis tuis reddidi ?

Heu! quoties otiosâ, vanâ, ſuperbâ, inordinatâ, impurâ carnalis, & venereâ, gulosâ, invidiosâ iracundâ, ſuſpiciosâ, temerariâ, fraudulentâ ſcrupulosâ, deſperabundâ, &c.

Et vel maximè otioſis, inconſideratis, ſuperbis mordacibus, inverecundis, impudicis, ſcandaloſis, iracundis, vanis, detractoriis, contumelioſis, mendacibus, falſis, ſimulatis, adulatoriis, affectatis, execratoriis, imprecatoriis dictis, non rectâ, ſed tectâ, & falsâ intentione.

Ad nullum bonum finem, directis, vanis; & otioſis: & in gratiam hominum tantùm factis, inordinatis, in finem minùs decentem, nec debito modo, tempore, aut loco prolatis: perfunctoriis, & absque attentione ac devotione, quin potiùs hypo-

hypocriticè perfectis. Immorigeris, contra præcepta Dei, & Ecclesiæ; contra debitum Officii proprii, & remorsum conscientiæ.

Post hæc provolutus ad genua dic Confiteor, usque ad: Ideo precor, ab ultima verò confessione commissa peccata tua, Confessario explica clarè, humiliter.

Finitâ confessione dic: de his atque aliis mihi ignotis peccatis, me accuso, doleo, propono emendationem, petóque salutarem pœnitentiam, & absolutionem.

Sequuntur aliæ Orationes.

I. *Juxta exemplum sancti Petri.*

AD te Domine Iesu denuo supplex revertor, qui peccando à te toties discessi, quo enim ibo nisi ad te? si tu me repellis, quis me suscipiet? si tu condemnas: à quo veniam sperabo? firmissimè quidem

antehac ſtatui custodire juſtificationes tuas, omniáque peccata, potiſſimùm iſta vitare, ſed eheu! inſtabilis factus ſum, & concupiſcentiæ illecebris ſeductus, te iterũ dereliqui: peccavi, quid faciam? quo me convertam miſer, nisì ad te, in quo eſt ſalus, vita, & reſurectio noſtra. Reſpice in me Domine Ieſu, quemadmodum in Petrum reſpexiſti, & miſerere mei! utinam dolorem cordis mei, tot lachrymis, quot ille conteſtari poſſem! in tua miſericordia mi Ieſu, quæ major eſt, quam mea ſit iniquitas, ſpem omnem pono: plus tu potes dimittere, quàm ego committere, ne projicias me à facie tua, dic animæ meæ. Salus tua ego ſum.

II. Juxta exemplum Mariæ Magdalenæ.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut plorem die, ac nocte peccata mea, quibus te

te amantissime Iesu toties ad iram provocavi, ad pedes tuos cum Magdalena provolvor, eósque ex animo amplector, & exosculor, tuam supplex misericordiam implorans, parce Domine, parce peccatis meis! quæ utinam tam largo lachrymarum imbre, quàm peccatrix illa possem eluere! horum defectum mi Iesu, roseo tuo, quem pro me copiosissimè fudisti sanguine, compensa: à pedibus tuis non discedam, hos firmiter tenebo, tanquam salutis meæ anchoras, nec dimittam te, donec benedixeris mihi, & audiam illa summæ consolationis verba: remittuntur tibi peccata tua.

III. Juxta exemplum filii prodigi.

PAter peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus: desideriis, & concupiscentiis meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contempto, fodi mihi cisternas consolationum terre-

narum, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, te fonte aquæ vivæ derelicto; gaudium in creaturis quæſivi, quod in te ſolo inveniri poteſt, verè non eſt pax impiis, quare ad te redeo ô benigniſſime Pater! cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, iterum exclamo. Pater peccavi in cœlum, & coram te! redde mihi obſecro, licet filii nomine indigno, gratiæ tuæ veſtem, quam peccatis meis perdidi, reſtitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum peſſumdedi, ut hoc ornatu in cœna tua euchariſtica, gratioſus comparere merear; tibíque æternùm conjungi. Mihi enim adhærere Deo, bonum eſt.

IV. Juxta exemplum Zachæi, ad reſtitutionem famæ, & bonorum ablatorum.

CONfiteor adverſum me injuſtitiam meam tibi Domine, iniquè egi non modò contra divinæ Majeſtatis tuæ hono-

no-

norem, verùm, & proximi mei charitatem, quem ut diligerem ſicut me ipſum, præcepiſti; ſæpè fateor, gravitérque contra hoc tuum præceptum peccavi, cupidus heu! nimium fui rerum temporalium, aliorum damno, nimis laudis propriè appetens, aliorum contemptu: quid tandem proderit mihi, ſi univerſum mundum lucratus fuero, animæ verò meæ detrimentum faciam, quid ex mundi gloria mihi erit, ſi ad infernum deſcendam? quid à cœlo, quid à terra ſperare poſſim, te Deo meo offenſo? agnoſco Deus meus, iniquè me hactenùs egiſſe, & in multis proximo injuriam intuliſſe, ignoſce culpam agnoſcenti, in ſatisfactionem, & tuæ voluntatis adimpletionem, propono, & ſtatuo te adjuvante, omnium damna à me ſive in honore, ſive in bonis proximo illata, quantùm poſſum reſarcire, & aliquam inſuper eleemoſynam elargiri, aufer à me

me quod hactenùs fovi, cor lapideum durum, & invidum, & redde cor carneum, cor humanum, cor mite, tuæque benignitati conforme, ut & ego inter filios Abrahæ à te electos, recenſeri merear; tu enim veniſti ſalvum facere quod perierat.

V. Juxta exemplum latronis in Cruce.

SErò ad te venio ô Ieſu crucifixe! tempus eſt, ut me tibi conciliem, quot enim juvenes æquè, ac ſenes, mors interea abſtulit: dum ego peccatis indulſi? annon, & ego unâ cum illis è medio tolli, æternúmque damnari potuiſſem? quid te mi Ieſu movit, ut mihi præ cæteris parceres, nisì bonitas tua infinita, ne ergo me, quæſo: nunc à te repellas, nemo unquam ſeriò pœnitens, ad te ſerò nimis venit; latroni in cruce ultimo vitæ articulo condonâſti, quicquid omnibus vitæ ſuæ annis peccavit, eodémque die, in paradiſum recepiſti;

per

per insigne hoc tuæ misericordiæ, & clementiæ opus, te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris, & doloris affectu) oro ô Iesu nazarene! miserere mei, & in tuam, licet indignum me, gratiam recipe. Fateor amarissimæ passionis, & crucis causam esse delicta mea, quæ proinde ex animo nunc detestor, cum firmissimo proposito, ea me deinceps cum tua gratia nunquam repetiturum. Miserere mei, ô Iesu miserere mei! qui misereris omnium propter pœnitentiam.

VI. Juxta parabolam ovis perditæ.

ERravi sicut ovis quæ periit, pastor bone pie Iesu, quære servum tuum, & reduc me in viam mandatorum tuorum, tu enim dixisti: visitabo oves meas, quod perierat requiram, & quod abjectum erat reducam, quod confractum alligabo, &

quod infirmum consolidabo, aspice vulnera peccatorum meorum, quorum non est numerus, & sana ea; tuis me humeris licet indignum excipe, & adduc ad gregem electorum tuorum, ibi misericordias Domini in æternum cantabo.

VII. Juxta parabolam incidentis in latrones.

ME miserum! qui ab Jerusalem in Jericho descendi, qui loco veræ pacis deserto, fallaces mundi, & carnis delectationes sectatus sum, & in manus infernalium latronum incidi, à quibus innocentiæ veste spoliatus, & ad mortem animæ miserando spectaculo vulneratus sum, propitios in me oculos converte, ô pie Samaritane, & miserere mei in sanguine peccatorum meorum volutantis, non est qui possit, aut velit misero mihi, in hoc statu salutarem præbere manum, præter te,

te, Domine Iesu, in te solo omnis vitæ spes est posita, tu unicus es animæ meæ medicus, huic obsecro amoris tui vinum, & misericordiæ oleum infunde, & indue in vulnus sacratissimi lateris tui. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hìc habitabo quoniam elegi eam.

Domine omnipotens, importabilis est magnificentia gloriæ tuæ, & insustentabilis via comminationis tuæ, super peccatores; immensa verò, & investigabilis misericordia promissionis tuæ: quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis, & multum misericors, & pœnitens super malitias hominum; tu Domine secundùm multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam & remissionem iis, qui peccaverunt tibi, & multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus in salutem, tu igitur Domine Deus justorum, non posuisti pœniten-

nitentiam juſtis, Abraham, & Iſaac, & Jacob, iis qui tibi non peccaverunt, ſed poſuiſti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccavi ſuper numerum arenæ maris; multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri, & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum, & nunc flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem; peccavi Domine peccavi! & iniquitates meas agnoſco: quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis: neque in æternum iratus, reſerves mala mihi: neque damnes me in infima terræ loca, quia tu es Deus, Deus inquam pœnitentium, & in me oſtendes omnem boniratem tuam, quia indignum ſalvabis me, propter magnam miſericordiam tuam, & laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus

cœlo-

cœlorum, & tibi eſt gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Actus contritionis.

UTinam te Deus meus ex toto corde meo, ex toto anima mea, & ex omnibus viribus meis, ſuper omnia (quod opto) diligam! utinam ipſum Seraphinorum amorem exæquem, in eóque æternum perſiſtam! tu ſcis Domine quia amo te, magísque amare cupiam, quòd millies malim mori, quam in talia peccata relabi. O quàm doleo, quòd te ſummum, & amantiſſimum bonum meum, unquam offenderim. Utinam (quod firmiſſimè tuâ fretus ope propono) te nunquam vel minimo delicto offendam! tu enim omni amore, honore, & cultu dignus es, cujus ſanctiſſimam voluntatem in omnibus exequi cupio, Amen.

Orationes post confessionem.

SIt tibi Domine obsecro meritis beatæ Mariæ semper Virginis, Genitricis tuæ Mariæ, & omnium sanctorum grata, & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit nunc, & alias de sufficientia contritionis, & de puritate, & integritate confessionis, suppleat pietas, & misericordia tua, & secundùm illam digneris me habere pleniùs, & perfectiùs absolutum in cœlo. Qui vivis & regnas &c.

Semper cantabiles mihi erunt justificationes tuæ Domine Iesu. Tu enim ille es, qui me toties tuo pretioso sanguine, & fonte lachrymarum tuarum abluisti. O bonitas infinita, quomodo tanti fecisti hunc adulteram animam, ut ejus amore dimitteres palatium gloriæ tuæ, & vitam tuam traderes in manus carnificum, & inimicorum? Age Domine, confirma quod

ope-

operatus es in me, miſerere mei, nec permitte, ut extremi vitæ meæ dies infeliciores ſint, & magis culpabiles, quàm primi. Inter dulciſſimos amplexus, & ſuaviſſima pacis oſcula aſſumpſiſti me, ad tuam amicitiam, ornatum gratiâ tuâ, per Sacramentum pœnitentiæ. Vivat, & ardeat ſemper in me amor tuus, quomodo ego eſſe tepidus poſſum in te quærendo, cùm tu tantoperè ardeas amore mei? O Domine Deus meus, fac mihi hanc gratiam, ut gratiâ tuâ adjutus, non ſinam irrita fieri tot beneficia, ego ſum impius, & piger ſervus, quid tibi reſpondere potero, quando à me rationem exiges, quando mihi oſtendes tua vulnera, pro me tolerata, cum objicies labores, opprobria, perſecutiones, itinera, & plurimas alias moleſtias mei amore toleratas, doleo doleo propter peccata vitæ præteritæ! diſplicet mihi quòd te offenderim, perdendo

te

te per quodcunque peccatum, perdidi omnia, cœlum, auxilia peculiaria Sanctorum, tuam amicitiam, omnia bona præterita, & pacem animæ meæ, modò per Sacramentum pœnitentiæ omnia recepi; benedicta ſit tua clementia in æternum.

Regreſſus ſum Domine ſicut filius prodigus ad brachia, & amplexus tuæ bonitatis; gratias ago tibi pro tam ſingulari beneficio, nunquam ampliùs in æternum amantiſſimè Pater, recedam à tua amicitia, & gratia: nunquam per ullum peccatum mortale, à te elongabor: ita propono, ita proteſtor coram divina tua Majeſtate, & coram ſanctiſſima Virgine Maria, & SS. Angelis, ac beatis Spiritibus: in æternum non obliviſcar mandata tua, confirma hoc propoſitum Deus meus ſigillô gratiæ tuæ. Amen.

Quòd ſi fortè per imprudentiam quidquam cogitavero, dixero, fecero, quod bene-

beneplacito tuo repugnet, coram te Domine totáque curia tua cœlesti protestor: id præter, & contra voluntatem fieri. Si aliter accidat, miserere Domine! & illicò errantem revoca, cadentem subleva, & ne id contingat, propter bonitatem tuam obtestor te misericordissime Pater, ut me prævenire digneris, in benedictionibus tuis, & me tanquam rem tuam possideas, & regas.

Benignissimè Domine IESU Christe, suscipe hanc satisfactionem pro peccatis meis, quæ quidem nullatenùs conferri potest, cum multitudine, & magnitudine iniquitatis meæ, quâ te, Dominum ac Deum meum, gravissimè offendi; sed conjicio omnia peccata mea in flagrantissimum ignem immensi amoris, ac misericordiæ tuæ, ut in illo igne conflagrent, & accipio mihi ex abundantissimo thesauro meritorum tuorum, quidquid huic meæ satis-

factioni deest; non enim in mea, sed in plenissima, & superabundanti satisfactione tuæ sanctissimæ vitæ, passionis, ac mortis confido; succurrant mihi merita tua piissime Salvator, & ex iis supplere digneris quidquid huic meæ pœnitentiæ, heu! nimis parvæ, & frigidæ deest, ut te miserante liberer ab omni pœna, peccatis debita, etiam purgatorii, quatenùs divinæ tuæ bonitati placet; & me facias tibi plenè, & perfectè reconciliatum, ut in novitate vitæ meæ tibi vivam, ac serviam secundùm tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Ad te ô benignissime Iesu revertor, & gratias ago, quòd à fœdissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fieris, sit nomen tuum ô Iesu benedictum in sæcula! Verè tu Iesus, hoc est Salvator es, qui neminem à te quamlibet flagitiosum repellis, qui omnes seriò pœniten-

tentes in gratiam recipis, & in numerum filiorum tuorum adſcribis. Miſericordiæ tuæ viſcera ô Ieſu agnoſco, & amplector, méque totum ſervitio tuo deinceps addico, adjuva obſecro, imbecillitatem meam, ut nunquam hujus tui mihi præſtiti beneficii oblitus, amore ullius delectationis, aut præpoſteri affectûs impulſu, in priora peccata relabar, méque à te ſeparem, cor & animam meam dilectionis tuæ brachiis ita tecum conſtringo, ut dicere cum Apoſtolo audeam: quis me ſeparabit à charitate Chriſti?

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intrà me ſunt, nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino; & noli oblivíſci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia, & in miſerationi-

 bus.

bus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua. Faciens misericordias Dominus: & judicium omnibus, injuriam patientibus. Notas fecit vias suas Moysi; filiis Israël voluntates tuas. Miserator, & misericors Dominus. Longanimis, & multùm misericors, non in perpetuum irascetur; neque in æternum comminabitur. Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantùm distat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fœnum, dies ejus, tanquam flos agri, sic efflorebit.

Quo-

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet ampliùs locum ſuum. Miſericordia autem Domi-nini ab æterno, & usque in æternum, ſuper timentes eum. Et juſtitia illius in filios filiorum, his qui ſervant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum ejus, ad faciendũ ea. Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam; & regnum ipſius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonis ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus, miniſtri ejus qui facitis voluntatem ejus. Benedicite Domino omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino. Gloria Patri. &c.

Orationes ante S. Communionem.

AD menſam dulciſſimi convivii tui pie Domine Ieſu Chriſte, ego peccator,

de propriis meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia accedere vereor, & contremiſco, nam cor, & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem, & linguam non cautè cuſtoditam. Ergo! ô pia Deitas, ô tremenda Majeſtas! ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te feſtino ſanandus, ſub tuam protectionem fugio, & quem judicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa, pro quibus timeo, ſpero tamen miſericordias, quarum non eſt numerus. Reſpice in me oculis miſericordiæ tuæ pie Domine Ieſu Chriſte, Rex æterne, Deus, & homo, crucifixe propter hominem; Exaudi me ſperantem in te, miſerere mei pleni miſeriis, & peccatis: tu qui fontem miſerationis tuæ

nun-

nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me, & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis, & pretiose sanguis, de vulneribus dulcissimi Domini Iesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti, pœnitet me peccâsse, cupio emendare quod feci; aufer ergò à me clementissime Pater, omnes iniquitates, & peccata, ut purificatus mente, & corpore, dignè degustare merear sancta sanctorum, & concede, ut sancta prælibatio corporis, & sanguinis tui, quam ego indignus summere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, bonorum sensuum regeneratio, operúmque tibi placentium, salubris efficacia, animæ quoque, & corporis contra inimicorum meorum insidias, firmissima tuitio. Amen.

Om-

Omnipotens ſempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper, & egenus ad Dominum cœli, & terræ; rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenùs meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem, ut te panem Angelorum, Regem Regum, & Dominum dominantium, tantâ ſuſcipiam reverentiâ, & humilitate, tantâ contritione, & devotione, tantâ puritate, & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ; da mihi quæſo Dominici corporis, & ſanguinis non ſolùm ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem, & virtutem Sacramenti. O mitiſſime Deus! da mihi corpus unigeniti

niti Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod traxit de Virgine MARIA, ſic ſuſcipere, ut corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelatâ tandem facie perpetuò contemplari.

Dignare dulciſſime Ieſu, ad hoſpitiolum indigniſſimi cordis mei, declinare, & deſideratã præſentiã tuam animæ meæ ne tardaveris exhibere; Veni ad me, veni ô unica ſalus mea! totum, & ſolum bonũ meum, adſtringam te pectori meo, accipiam te inter ulnas animæ meæ, & ponam te ſicut ſignaculũ ſuper cor meum, ô veni Salvator meus! veni totus deſideratus animæ meæ, quem expectabam in tenebris: veni & novo lucis radio illuſtra cor meum, eligénsque tibi ſepulturam in me, ſepeli me totum viciſſim in te, ut omnibus aliis

 mor-

mortuus, tibi ſoli vivam, in te novum ſpiritum colligam, novum fervorem conſequar, novum hominem induam, & in fruitione mellifluæ tuæ præſentiæ, ſit mihi perpetua in te requies.

O! dulciſſima Virgo Mater MARIA, te deprecor, & exoro, ut mihi miſerrimo peccatori aſſiſtere digneris in hac hora, in qua pretioſiſſimum Filii tui corpus, & ſanguinem ſum percepturus, ſicut adſtitiſti eidem unigenito, pro nobis in cruce morienti. Loquere obſecro nunc apud Filium tuum pro me, ut tuo benigno auxilio, dignè perficiam hoc, quod intendo, mentéque purificatus, & corpore, ad meam æternam ſalutem, dignè manna illud abſconditum merear deguſtare. O Maria flos Virginum, contege nunc pallio miſericordiæ tuæ, maculas cordis, & animæ meæ, comitare me dulciter euntem in occurſum Filio tuo: impetra mihi

bene-

benedictionem ab ipso, ut illum cum divina sua virtute, decenter præparatus suscipere, eidémque reclinatorium gratum, & dulce, in anima mea præbere possim.

Veni ô bone Iesu, ut recipias me Filium prodigum, & exhilares eum, qui te contristavit, coronâ gloriæ, corona eum, qui te spinis cruentavit, amplexare eum, qui te vitâ spoliavit, ama absque modo illum, qui tuam est legem odio prosecutus; ô divine Agne! per delitias tui æterni Patris recipe hæc mea desideria. Ad te venio Domine, misereatur pietas tua operis manuum tuarum. recipiat me tua divina gratia, ut te videam in throno magnitudinis tuæ.

Anima Christi sanctifica me, corpus Christi salva me, sanguis Christi inebria me, aqua lateris Christi lava me, passio

 Chri-

Christi conforta me; ô bone Iesu exaudi me, intrà vulnera tua absconde me, & ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum sanctis tuis laudem te, in sæcula sæculorum, Amen.

Exercitium singularis devotionis.

Oratio præparatoria.

DOmine Iesu, qui carnem, & sanguinem tuum in cibum, potúmque mihi præparare dignatus es, in ejúsque sumptione, passionis, & mortis tuæ memoriam recoli voluisti: da gratiam ut huic tuæ sanctissimæ voluntati satisfacere, ubérésque hujus Sacramenti fructus percipere valeam. Amen.

Christus ultimam cænam instituit.

Cùm tuos ô Iesu dilexisses, verè in finem dilexisti eos, temetipsum enim ex hoc mundo abiens, sub speciebus panis, & vini in terris reliquisti, ut semper nobiscum esses, quid tibi vicissim, ô Iesu rependam? accipe corpus, & animam meam, meque totum posside, qui te totum mihi in cibum tradere voluisti.

Lavat discipulorum pedes.

AD discipulorum tuorum, ipsius etiam Judæ pedes, te ô Iesu prosternere, eósque manibus tuis abluere dignatus es; & ego pulvis, & cinis, ego terræ vermiculus, ego homo impius, persistam in suberbia? fac Domine, ut vilior fiam, plus quàm factus sum, & sim humilis in oculis meis.

Angitur in horto, & ſanguinem ſudat.

TUus in horto mœror, & angor ſanguineum tibi ô Ieſu ſudorem expreſſit, & in hæc verba exclamare coegit; triſtis eſt anima mea usque ad mortem, væ mihi ob cujus peccata, tu Domine Ieſu adeo contriſtatus es! ſanguinem ſudâſti, & ego tam exiguum de illis dolorem ſentio, quis dabit capiti meo aquam, & oculis fontem lachrymarum, ut fleam die, ac nocte.

Ab Angelo confortatur.

UT calicem amariſſimæ paſſionis tibi ô Ieſu à Patre tuo cœleſti oblatum acceptares, perſuaſit Angelus. Num ego eundem à te mihi propinatum recuſem? calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

A Ju-

A Juda osculo traditur.

PErfidum ô Iesu! osculũ, à Juda admittere, paternum verò proditori reddere, dignatus es; ne permittas mi Iesu, ut ego tam impio te osculo in hoc sanctissimo Sacramento excipiam, aufer proinde à me omnem inordinatum creaturarum affectum, ut te toto corde diligam, & sincero affectu amplectar, tu enim vero es Deus cordis mei.

Christus capitur.

SPiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; & ego deinceps suavissimo tuorum, ô Iesu mandatorum jugo excusso, vivendi captem libertatem, trahe me oro, post te, trahe me inquam in funiculis Adæ, in vinculis charitatis, & curram in odorem unguentorum tuorum.

Ad

Ad Annam & Caipham ducitur.

AD Annam & Caipham ſummos Pontifices, ô Ieſu tanquam graviſſimorum flagitiorum reus traheris, ad falſas accuſationes, alapas, ſputa, aliáque opprobria, non aperis os tuum; ubi eſt patientia mea! te mi Ieſu ſupplex oro, ut mihi in hoc Sacramento tribuas patientiam, manſuetudinem.

Præſidi Pontio Pilato ſiſtitur.

POntio Pilato Judici, te ô Ieſu condemnandum ſiſti pateris, qui à Patre tuo conſtitutus es Judex vivorum, & mortuorum, nimirum: ut me à ſententia æternæ damnationis abſolveres; Væ mihi ſi indigna corporis, & ſanguinis tui ſumptione, aut ullo deinceps gravi peccato, me tui judicii ô Ieſu reum faciam.

Ab Herode spernitur.

HErodes cum universa Aula, te mi Iesu ob modestiã, & humilitatem tuam spernit, albáque indutum veste, cum ludibrio ad Pilatum remittit, ne unquam ô Iesu permittas, ut ego humilem tuam, sub candidis panis speciebus præsentiam, ullo unquam modo spernam, aut parvi faciam, tu enim verè es Deus, hìc absconditus.

Barabbæ latroni postponitur.

UNanimem mi Iesu, iniquissimæ Plebis Barabbam tibi præferentis vocem, demisso animo audivisti. Utinam ego nunquam hujus mundi bona, honores, voluptates tibi ô Iesu præferam, quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram,

Flagellatur.

A Planta pedis usque ad verticem capitis, non fuit in te mi Iesu sanitas, quando virgineum corpus tuum ab impiis denudatum, diris modis est cæsum; supplex ad thronum gratiæ tuæ in hoc SS. Sacramento, mihi erectum procido: ne in me horum omnium authore, tantam immanitatem ulciscaris, cum Jobo in amaritudine animæ meæ exclamabo; noli me condemnare.

Spinis coronatur.

EGredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate suo, ô speciose formâ præ filiis hominum, ô Rex gloriæ Christe Iesu! téne video spinis coronatum? & ego in vultu, aut ulla corporis parte vanam affectem gloriam? Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam.

Ecce Homo.

QUis eſt iſte, qui venit de Edon, tinctis veſtibus de Bosra? iſte formoſus in ſtola ſua; Itáne mi Ieſu attrita, laceráque purpura, regium eſt paludamentum? tuum arundo ſceptrũ? ſpinæ corona? parce ah parce mihi peccatori! cùm veneris in nube cum poteſtate magna.

Condemnatur.

AB iniquis ô Ieſu! te innocentem condemnari permiſiſti, ut à me nocente, ſententiam æternæ damnationis avertas, fac ut denique audiam cum electis tuis in illa die, venite benedicti.

Crucem bajulat.

POſuit in te mi Jeſu, Pater tuus cœleſtis, iniquitatem omnium noſtrûm; pondus hoc in cruce lubens ſuſcepiſti, montémq; Calvariæ conſcendiſti, utinam,

& ego ſic poſt te venire contendam, ut tollam crucem meam, & ſequar te.

Crucifigitur.

SOl obſcuratus eſt, te Ieſu in cruce pendente: terra mota eſt, petræ ſciſſæ ſunt; & ego pudore non ſuffundor? non moveor, non conteror, largi è ſanctiſſimis manibus, pedibúsque fontes ſcaturiunt, & ego non accurro, etiámnum ſurdis, & torpentibus auribus, excipiam voces Prophetæ? in illa die, quæ nunc per gratiam mihi illuxit, haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris, verè mi Ieſu apud te eſt fons vitæ.

Ultima morientis verba.

PRima tibi ô Ieſu morienti cura fuit, ut peccatores, ij etiam, qui te cruci affixerunt, Patri tuo reconciliarentur, Pater inquiebas: dimitte illis, non enim ſciunt, quid

quid faciunt, & ego ulli qui me unquam of-
fendit, ignoſcere detrectem? dum ad te
mihi Ieſu in amoris Sacramento ſumendum
accedo, abſit ô Ieſu! omnibus amore tui
ex animo condono, quidquid in me un-
quam peccârunt, præſertim illis NN. fac
me obſecro in hora mortis meæ cum la-
trone, illa audire verba: Hodie mecũ eris
in paradiſo: & patere, ut te fratrem me-
um in hoc Sacramento amplectar, qui dul-
ciſſimam Genitricem tuam, in Matrem
dediſti, téque à Patre tuo in extremo mor-
tis agone derelinqui permiſiſti, ne is me
æternum in peccatis meis derelinqueret;
Ardentiſſimè inſuper ſalutem meã ſitivi-
ſti, ut viciſſim anima mea ſitiret ad te, fon-
tem vivum: donec conſumato hujus vi-
tæ curſu, in manus tuas commendem ſpi-
ritum meum. Veni Domine Ieſu.

Chriſtus moritur.

UTinam mihi licuiſſet, ô Ieſu ore, & corde meo, ultimum vitæ tuæ ſpiritum excipere! ut dicere poſſem: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Quàm benignus es ô Ieſu! quod enim tam ardenter deſidero, id in glorioſiſſimo hoc Sacramento mihi concedis, non modò ſpiritum tuum, verùm & corpus, ipſámque divinam tuam ſubſtantiam, ore, & corde ſumendam, mihi tradis, ſi qui non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.

Latus lanceâ aperitur.

TUnc mihi ô Jeſu ad urbem, & domum refugii aditum patefeciſti, quando lanceâ latus tuum aperiri voluiſti. Hæc requies mea, hìc habitabo: quoniam elegi eam.

Sepe-

Sepelitur.

VIrgineum corpus tuum ô Iesu! mundâ sindone involutum, sepulchro novo est conditum, ampliùs, ampliùs lava me ô Iesu! & à peccato meo munda me, cor mundum crea in me, quo sanctissimum tuum, nunc redivivum, & gloriosum corpus, tanquam mundâ sindone excipiam, eíque ita amore conjungar, ut verè possim dicere, neque mors, neque vita, neque ulla creatura, me separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Terna amoris ad Iesum suspiria.

1. ACcende ô Iesu igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnésque terreni amoris flammas extingue, ut nihil in mundo mihi placeat præter te, in amore tui vivere cupio, & mori exopto.

2. Vox

2. Vox tua mi Iesu est: venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; expansis in cruce brachiis me expectas, en venio ô Iesu! admitte me obsecro, æternúmque in amoris tui complexu tibi conjunctus permaneam.

3. Præcipitur mihi ne appaream in conspectu tuo vacuus. Sed quid dabo tibi Iesu? accipe tuæ bonitatis dona, animæ meæ facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim, nihil sciam extra te, nihil præter te amem, nec in ulla re mea, sed tua solius voluntas fiat, Amen.

Septem diversi modi piè communicandi.

Quibus Christus, & comunicans, in varia imagine constituuntur, congruáque petuntur, prout versus sequentes indicant.

Septem

Septem imagines Christi.

1. Rex. 2. Judex. 3. Medicus. 4. Sponsus. 5. Dux. 6. Victima. 7. Numen,

Septem imagines communicantis.

1. Mendicus. 2. Reus. 3. Æger. 4. Amans. 5. Pugil. 6. Hostia. 7. Pulvis.

Septem petitiones.

1. Da. 2. Parce. 3. Et sana. 4. Satia. 5. Rege. 6. Suscipe. 7. Salva.

Septem Correspondentia Mysteria passionis.

1. Cæna. 2. Hortus. 3. Flagrum. 4. Spinæ. 5. Crux. 6. In Cruce. 7. Funus.

Praxis horum.

1. Modus piè communicandi.

CHristum sedentem in cæna magna considera, sub imagine Regis dicentis. Matth. 13. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. & Prov. 8. 1. Mecum sunt divitiæ, & gloria. &c. Ad quem tu velut egenus, & Mendicus accede, solámque ejus gratiam pete.

Oratio.

AD te ô Rex Gloriæ Iesu Christe, in cœna tua regia, ego pauper, & sordidus accedo, qui coram te, nisì tua bonitas me invitâsset, comparere non auderem; respice miseriam, ac necessitatem meam, cui sublevandæ sola mihi sufficit gratia tua, quam unicè per hujus SS. Sacramenti sumptionem peto; hæc sola replet in bonis, desiderium meum. Ps. 102.

2. *Modus piè communicandi.*

CHristum in horto Gethsemani (quem vallis Josaphat comprehendit) considera ut Judicem, cui Pater omne judicium dedit. Joan. 5. 22. Tu ut reus accede, & veniam tuorum delictorum precare.

Oratio.

QUid faciam ô Iesu, cùm in loco eodem, quo ad mortem propter scelera

ra mea anguſtiatus es, ſurrexeris ad judicandum, de quavis cogitatione, verbo, & opere, rigidiſſimam exacturus rationem; fateor me tuam Majeſtatem in multis offendiſſe, ſed parce, ô clementiſſime Ieſu, parce per SS. vulnera tua, amore mei ſuſcepta. Ad thronum clementiæ tuæ, in ſanctiſſimo boc Euchariſtiæ Sacramento, accedo, ſubmiſsáque confidentiâ te ſupplex oro. Cùm veneris judicare, noli me condemnare.

3. *Modus piè communicandi.*

CHriſtum in flagellatione conſidera ut Medicum, cujus livore ſanati ſumus. Iſ. 53. tu ab illo velut æger, aut vulneratus à latronibus, medelam pete.

Oratio.

O Miſericors Samaritane Chriſte Ieſu, cujus virginea caro, diriſſimis pro me flagellis cæſa, roſeúſque ſanguis pro

me copiosissimè fusus, unica meorum vulnerum est medicina. Utinam ejus virtutem in præsenti experiar, & cùm hora mortis meæ advenerit: eodem im̃ortalitalitatis pharmaco refici merear; Est enim hoc pharmacum, quod redimit ab interitu vitam meam Ps. 102.

4. *Modus piè communicandi.*

CHristum coronatum spinis considera, ut sponsum, qui sponsavit te sibi in sempiternum, Os. 2. 19. Tu illum vicissim ama, ut sponsa, tuáque cœlestium voluptatum desideria, ab eo postula experiri.

Oratio.

QUis ego sum, ô Iesu, mea causâ spineo diademate redimite? in charitate perpetua dilexi te, sponsabo te mihi in misericordia, & in miserationibus. Quo majore potuisses me honore, & amore prosequi, lætare, & exultare anima mea

mea, qui ſpecioſus formâ præ filiis hominum, in thalamum te ſuum extulit, tecúmque æterno amoris vinculo, vult conjungi, & nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam, fodiásque tibi ciſternas fallacium voluptatum; quid ad illum amore flagrans accuris, qui ſponſus tuus eſſe dignatur, quíque torrente voluptatis ſuæ potabit te, Pſ. 35.

5. *Modus piè communicandi.*

CHriſtum crucem bajulantem, conſidera ut Ducem, omnibus inclamantem: confidite, ego vici mundum. Io. 10. ult. Tu ut timidus Pugil ad hunc accede, & roga, ut te dum à mundo, carne, & diabolo oppugnaris, dignetur regere, & confortare.

Oratio.

O Dux fortiſſime, ô Victor glorioſiſſime, Chriſte Ieſu! in potentiſſimo crucis ligno mundum, carnem, & diabolum vici-

vicisti, quomodo ego pavidus, & imbecillis, contra tam potentes inimicos subsistam, nisi tu me adjuves; ? blanditur caro, seducit mundus, impellit diabolus, sinè tua ope mi Iesu, de salute mea, actum est, proinde ad te in SS. hoc Sacramento, confugio, tu me rege, defende, & conforta, sequar te quocunque ieris. Luc. 9. 5. 7.

6. *Modus piè communicandi.*

CHhristum crucifixum considera ut victimam, propitiatoriam pro peccatis nostris, 1. Io. 2. 2. Te ut Hostiam eidem adjunge, eámque ut suscipere dignetur, supplex ora.

Oratio.

O Christe Iesu! qui pro nobis in cruce perfectissimum Patri tuo factus es holocaustum, & propitiatio pro peccatis nostris, & ego me tecum in sanctissimo hoc Altaris Sacramento conjunctum, Patri

tri tuo, quem & meum fecisti, in Hostiam offero, fac, ut tecum suscipiar in odorem suavitatis. Ezech. 20. 41.

7. *Modus piè communicandi.*

CHristum in funere, & sepulchro considera ut Numen, in quo abscondita est vita nostra. Col. 3. 3. Tu roga: ut postquam in pulvere dormieris, te resuscitet, & salvet.

Oratio.

SCio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum, quem nunc sub speciebus panis, & vini absconditum summere intendo, funus tuum, & sepulchrum ô Iesu! mihi viam hanc ad immortalitatem aperuit. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Ps. 41.

Dum jam ad Sacramentum accedere paras, in comitatum tuum invita B. Virginem, Ange-

Angelum tutelarem, S. Josephum, aliósque sanctos Patronos tuos, in hunc, vel similem modum.

Oratio in accessu ad S. Communionem.

ADeste ô beatissima Virgo, unâ cum conjuge tuo S. Josepho, túque ô Angele Custos, & vos præ cæteris mihi dilecti Patroni, latus meum stipate, viámque ad mensam Domini mihi parate. *Plura ab iis petenda, suggeret devotio.*

Orationes post S. Communionem.

QUid retribuam tibi ô dilecte mi Iesu, delitium omne meum, suavitas, & dulcedo mea, quid retribuam tibi? Cantabo semper misericordias tuas, & benedicam in æternum nomini sancto tuo, ne ingratitudo mea desiccet torrentes tuæ clementiæ, qui superfluent ex fontibus bonitatis tuæ, repleatur ergò os meum laude, ut cantet, & dicat tibi. Tuos gloria

ria mea. Ego ego cantabo bonitatem tuam, & exaltabo misericordiam tuam, venite, audite me omnes, qui timetis Dominum, quanta fecit animæ meæ

Gratias tibi ago Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed solâ dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore, & sanguine Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, & precor, ut hæc sancta communio, non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis, sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ, & libidinis exterminatio, charitatis, & patientiæ, humilitatis, & obedientiæ augmentatio, contra insidias inimicorum omnium tam visibiliũ, quàm invisibilium, firma defensio, motuum meorum tam carnalium, quàm spiritua-

lium perfecta quietatio, in te uno, ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei, felix consummatio ; & precor ut ad illud ineffabile convivium, me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum filio tuo, & spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, felicitas perfecta. Per Christum Dominum nostrum.

Benedico, & gratias ago, inexhaustæ benignitati tuæ dulcissime Jesu, pro infinita ille tua misericordia, quâ placuit superefluenti pietati tuæ, iterum te suavissimâ declinatione demittere, & inclinare ad me peccatorum omnium peripsema, méque vitâ, & moribus despicabilem, à finibus extremæ vilitatis, ad associationem regiæ, & divinæ mensæ, dignitatísque tuæ participationem evocare non es dedignatus. Verè amor coëgit te, & naturalis tua bonitas, inflexit te, ut hodie placatus,

catus, & mellifluus totus ad me deſcenderes. O verè miſerationes tuæ ſunt ſuper omnia opera tua, nec eſt qui abyſſum pietatis tuæ exhaurire poſſit, ſiquidem mihi tam indigno peccatori, aditum ad ſupereffluentem bonitatis tuæ abyſſum aperuiſti. Laudent te Domine pro me ſpiritus Angelici, & omnes juſtorum animæ, quandoquidem labiis, & corde pollutus ego, conatu omni meo non ſufficio; unum peto ô Deus cordis mei! ut in virtute Sacramenti hujus, quod ſuſcepi, me viciſſim ſuſcipias in te, ut tu in me, & ego in te maneam, tibíque ſponſo, & amatori, perpetuò ſim unitus, ut revireàm, ac floream in te, ſicut herba marcida refloret ad mundationem pluviæ ſalutaris, nunc nunc ô Redemptor meus, ſpiritum meum, novæ lucis infuſione ſerenare digneris, mentémque meam ab inordinato amore creaturarum, & vanitatum hujus

ſæculi, tuâ internâ unctione potenter abſtrahe, ita ut externa cuncta, quæ tantopere placebant, & omnia quæ tu ipſe non es, mihi jam penitus vileſcant, & tu ſolus animæ meæ ſapere incipias.

Benedico te toto corde, & animo Maria terra fructifera, quia per te hodie fructum vitæ communicavi, qui in horto tuæ fœcundiſſimæ virginitatis excrevit, & commendo me tibi, ut pro me apud Filium tuum intercedas, & quacunque ratione in ſummi Sacramenti hujus, ſumptione deliqui, hujus negligentiæ, & indignitatis meæ veniam impetres; tu ſemper caſta, pura, innocens, permanſiſti, utinam, & ego tam divini Sacramenti ſumptione ita ſanctificer, ut deinceps, cor, & corpus meum ab omni lethalis peccati macula, tuear impollutum. Tu concepto Filio de Spiritu ſancto magnificas laudes Deo decantâſti, & in Deo ſalutari

tuo

tuo mirabiliter exultâſti, ô ſi tuis efficacibus precibus id aſſequar Virgo Mater: ut cum hac ſacra communione, novum, & ardentem ſpiritum conjungam, ac ſemper in gratiarum actione pia verſer, tantóque Redemptori, & hoſpiti, me nunquam ingratum, ſed fidum in omnibus miniſtrum oſtendam.

Transfige dulciſſime Domine Jesu medullas, & viſcera animæ meæ, ſuaviſſimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, verâ ſerenáque, & Apoſtolicâ ſanctiſſimâ charitate, ut langueat, & liquefiat anima mea, ſolo ſemper amore, & deſiderio tui; te concupiſcat, & deficiat in atria tua: cupiat diſſolvi, & eſſe tecum, da ut anima mea te eſuriat Panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, Panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem, & ſaporem, & omne delectamentum ſua-

vitatis; te in quem desiderant Angeli prospicere semper esuriat, & comedat, cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ; te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ, & scientiæ, fontem æterni luminis torrentem voluptatis, ubertatem Domûs Dei; te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem, & gloriam, nominis tui; cum humilitate, & discretione, cum dilectione, & delectatione, cum facilitate, & affectu, cum perseverantia usque in finem, & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, posses-

sio

ſio mea, theſaurus meus, in quo fixa, & firma, & immobiliter ſemper ſit radicata mens mea, & cor meum.

Ineffabilem miſericordiam tuam Domine Ieſu Chriſte humiliter exoro, ut hoc Sacramentum corporis, & ſanguinis tui, quod indignus ſuſcepi, ſit mihi purgatio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit impetratio veniæ, ſit ſtabilimentum gratiæ, ſit medicina vitæ, memoria tuæ paſſionis, ſit contra debilitatem fomentum, ſit viaticum meæ peregrinationis, euntem me deducat, errantem me reducat, revertentem me ſuſcipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, perſeverantem me, in gloriam introducat. O altiſſime Deus, beatiſſima præſentia corporis, & ſanguinis tui, ſic immutet palatum cordis mei, ut præter te, nullam unquam ſentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem,

nullum

nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat unquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem.

Eja amabilissime Iesu multitudo beneficiorum, immensúmque incendium charitatis tuæ flectat, & emoliat duritiem cordis mei, mallei crebriores frangunt petras, ferrum ignis liquefacit, néque est vis ulla tanta, quam, vis major non domet, ego solus miser ille sum, ac miserabilis, cui molliendo non sufficit tuarum miserationum multitudo, ego ille sum durissimus, qui te contempsi, ego qui crucifixi, ego qui parricida factus sum Creatoris, fratris homicida, & proditor legitimi Domini, naturæ, atque gratiæ: ego te despectui habui, qui pro me sperni, flagellis cædi, spinis coronari, cruci affigi, & tandem mori voluisti. Ah! mi dulcis Iesu, non dum perfecisti universas miserationes

tuas, ostende proinde mihi misericordiam tuam magnam, tu cor S. Catharinæ corde tuo permutâsti; tu S. Osannæ cor mundâsti; tu S. Mechtildi cor tuum donâsti, tu S. Theresiæ cor, amore tui vulnerâsti; tu denique ipse verè Deus amoris, cor ferventis tui servi Antonii, in arcu & sagitta tibi comparâsti. O si meum quoque cor ita vulneres dulcis Iesu! Utinam amem te ô pulchritudo cœli, in qua, tanquam in speculo se intuentur Angeli; utinam amem te ô gaudium, & delicium patris! utinam amem te ô unice Liberator, & benefactor meus! utinam amem te ô amator animarum; utinam amem te Zelator gloriæ divinæ! utinam amem te qui sic amas Patrem, ut te amando, amem illum etiam amore constanti, ac perpetuo, qui occupet sensus meos, possideat facultates meas, captivet cor meum, atque hoc ipso momento incipiam quod

facere desidero in sæcula sæculorum, Amen.

LITANIÆ,

De Venerabili Sacramento.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus. Miserere nobis
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Panis vivus qui de cœlo descendisti. Miserere nobis.
Iesus absconditus, & Salvator. Miser.
Frumentum electorum Miserere nobis.
Vinum germinans Virgines. Miserere.
Panis pinguis, & deliciæ Regum. Mis.
Juge sacrificium. Miserere nobis.

Obla-

Oblatio munda.
Agnus absque macula.
Menſa puriſſima
Angelorum eſca.
Manna abſconditum.
Memoria mirabilium Dei.
Panis superſubſtantialis.
Verbum carofactum habitans in nobis.
Hoſtia ſancta.
Calix benedictionis.
Myſterium fidei.
Præcelſum, & venerabile Sacramentũ.
Sacrificium omnium ſanctiſſimum.
Verè propitiatorium pro vivis, & defunctis.
Cœleſte antidotum quo à peccatis præſervamur.
Stupendum ſuper omnia miraculum.
Sacratiſſima dominicæ paſſionis commemoratio.

Miſerere nobis.

Donum tranſcendens omnem plenitudinem.
Memoriale præcipuum divini amoris.
Divinæ affluentiæ largitatis.
Sacroſanctum, & auguſtiſſimum myſterium.
Pharmacum immortalitatis.
Tremendum, ac vivificum Sacramentũ
Panis omnipotentiâ verbi caro factus.
Incruentum ſacrificium.
Cibus, & Conviva.
Dulciſſimum convivium cui aſſiſtunt Angeli miniſtrantes.
Sacramentum pietatis.
Vinculum charitatis.
Offerens & oblatio.
Spiritualis dulcedo in proprio fonte deguſtata,
Refectio animarum ſanctarum.
Viaticum in Domino morientium.
Pignus futuræ gloriæ.

Miſerere nobis.

Pro-

Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.

Ab indigna corporis, & sanguinis tui susceptione.
A concupiscentia carnis.
A concupiscentia oculorum.
A superbia vitæ.
Ab omni peccandi occasione.
Per desiderium illud quo hoc Pascha cum Discipulis manducare desiderâsti.
Per sum̃am humilitatem, quâ Discipulorum pedes lavisti.
Per ardentissimã charitatem, quâ hoc divinum Sacramentum instituisti.
Per sanguinem tuum pretiosum quem nobis in altari reliquisti.
Per quinque vulnera hujus tui corporis sacratissimi, quæ pro nobis suscepisti.

} Libera nos Domine.

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Ut nobis fidem, reverentiam, & devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere, & conſervare digneris. Te rogamus audi nos.

Ut ad frequentem uſum Euchariſtiæ, per veram peccatorum confeſſionem, nos perducere digneris. Te rogamus audi nos.

Ut nos ab omni hæreſi, perfidia, ac cordis cæcitate liberare digneris. Te rogamus audi nos.

Ut ſanctiſſimi hujus Sacramenti pretioſos, & cœleſtes fructus nobis impertiri digneris. Te rogamus audi nos.

Ut in hora mortis noſtræ hoc cœleſti viatico, nos confortare, & munire digneris. Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater &c.

PAnge lingua glorioſi, corporis myſterium, ſanguiníſque pretioſi quem in mundi pretium, fructus ventris generoſi, Rex effudit gentium. Nobis datus, nobis natus, ex intacta Virgine, & in mundo converſatus, ſparſo verbi ſemine, ſui moras incolatûs miro clauſit ordine. In ſupremæ nocte cœnæ, recumbens cum fratribus, obſervatâ lege plenè cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ ſe dat ſuis manibus. Verbum caro Panem verum verbo carnem efficit, fitque ſanguis Chriſti merum, & ſi ſenſus deficit, ad firmandum cor ſincerum, ſola fides ſufficit. Panis Angelicus fit panis hominum, dat panis cœlicus figuris terminum, ô res mirabilis! manducat Dominum, pauper ſervus,

vus, & humilis. Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum novo cedat ritui, præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui. Genitori, Genitóque laus, & jubilatio, ſalus, honor, virtus quoque ſit, & benedictio, procedenti ab utroque compar ſit laudatio. Amen.

LAuda Sion Salvatorem, lauda Ducem & paſtorem, in hymnis, & canticis; Quantùm potes, tantùm aude, quia major omni laude, nec laudare ſufficis; Laudis thema ſpecialis, panis vivus, & vitalis, hodie proponitur; Quem in ſacræ menſa cænæ, turbæ fratrum duodenæ, datum non ambigitur; Sit laus plena, ſit ſonora, ſit jucunda, ſit decora, mentis jubilatio; Dies enim ſolemnis agitur, in qua menſa prima recolitur, hujus inſtitutio; In hac menſa novi Regis, novum Paſcha novæ legis, phaſe vetus terminat;

Vetu-

Vetuſtatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat; Quod in cæna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſſit, in ſui memoriam; Docti ſacris inſtitutis, Panem vinum, in ſalutis, conſecramus hoſtiam; Dogma datur chriſtianis, quod in carmem tranſit panis, & vinum in ſanguinem; Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides, præter rerum ordinem; Sub diverſis ſpeciebus, ſignis tantum, & non rebus, latent res eximiæ; Caro cibus ſanguis potus, manet tamen Chriſtus totus, ſub utraque ſpecie; â Sumente non conciſus, non confractus non diviſus, integer accipitur; Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille, nec ſumptus conſumitur; Sumunt boni ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitûs; Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus; Fracto demum Sacramento, ne

 vacil-

vacilles, ſed momento, quantum toto tegitur; Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit factura, quâ nec ſtatus, nec ſtatura, ſignati minuitur. Ecce Panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus. In figuris præſignatur, cum Iſaac immolatur, Agnus paſchæ deputatur, datur manna Patribus. Bone Paſtor panis vere, Ieſu noſtri miſerere, tu nos paſce nos tuere, tu nos bona fac videre, in terra viventium. Tu qui cuncta ſcis, & vales, qui nos paſcis hìc mortales, tuos ibi commenſales, cohæredes, & ſodales, fac ſanctorum civium. Amen.

Pia Suſpiria.

NUnquid non paucitas dierum meorum finietur brevi, dimitte me igitur, ut plangam paululum dolorem meum. Memoria mea comparabitur cineri, &

redigentur in lutum cervices meæ. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea. Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei, Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Paucitatem dierum meorum nuncia mihi, ne revoces me in dimidio dierum meorum.

Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde. Aruit tanquam testa vita mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxit me. Defecit in dolore vita mea, & animi mei in gemitibus. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Velociter exaudi me Domine, deficit spiritus meus, non avertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum. Laboravi in ge-

mitu meo, & requiem non inveni. Domine multi gemitus mei, & cor meum mœrens. Citò anticipent nos misericordiæ tuæ. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi. Confitebor adversum me injustitiam meam Domine.

Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei. Pater peccavi in cœlum, & coram te jam non sum dignus vocari filius tuus; Peccavi, quid faciam tibi ô custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis. Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare.

Vide

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea; Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Respice in me, miserere mei. Miserere mei Domine sana me quia peccavi tibi. Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum, ne auferas à me. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Veniant mihi, miserationes tuæ, & vivam. Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum. Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo, omnis vivens; Ne reputes mihi Domine iniquitatem; neque memineris injuriarum servi tui. Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinquens

quens nos in longitudine dierum, converte nos Domine ad te, & convertemur.

Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis, Sitivit in te anima mea. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontem aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, ſitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo meo ſpem meam.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo. Cor contritum, & humilitatum Deus non deſpicias. Percutio Domine cum Publicano pectus meum, & dico: propitius eſto mihi peccatori. JESU Fili David miſerere mei. Iniquitatem meam

am ego cognoſco, peccavi Domino. Domine miſerere mei. Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne derelinquas me Domine Deus meus ne diſceſſeris à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, notam fac mihi viam in qua ambulem.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu; Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic hìc, non mea, ſed tua voluntas fiat. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſcipiamus? Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Deduc

me

INDEX.

Ad

O. A. M. D. G.

